



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Thomae Młodzianowski, Polonie, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Metaphysica, Logica, Octo Libris Physicorum, Generatione, Corruptione
Et Anima

Młodzianowski, Tomasz
Moguntiae Et Dantisci, 1682

Disputatio XII. De motu.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95667](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95667)

INSTABIS secundò. Accipiamus totum infinitum syncategorematicum, vel illud dicit aliquid ultra se, vel non dicit? Si non dicit, Ergo & in mente Dei non dicit. Ergo in mente Dei est determinatum; Si dicit? Ergo aliquid est, quod ultra se est.

RESPONDETUR. Infinitum quidem syncategorematicum, non dicit aliquid ultra se; dicit tamen esse, ultra quamlibet finitudinem, unde etiam in mente Dei, non dicit aliquid ultra se; dicit tamen, ut sit semper ultra; ad eum modum, quo ipsum ultra, non dicit ultra, quod sit ultra, dicit tamen esse ultra, adeoque esse sine ulla determinatione.

INSTABIS tertio. Si infinitum syncategorematicum, à Deo secundum omnes partes, distributive acceptas cognitum, seu prout est in mente Dei à parte rei poneretur, esse infinitum actu. Ergo & in mente Dei, est infinitum actu. Ergo est infinitum categorematicum. Antecedens prob: quia ita positum infinitum, nihil potentialitatis haberet, planè ac nihil potentialitatis habet in mente Dei.

RESPONDETUR. Neg. Antecedens. Sicut enim in mente Dei, est syncategorematicum, ita et si prout est in mente Dei poneretur, syncategorematicum esset; & licet ita positum infinitum, nihil potentialitatis habeat ad nosci, habet tamen potentialitatem objectivam, & respondentem illi notitiæ, inclusamq; in ipso esse; & tamen secundum illud esse, poni deberet; præcipue cum positio rei, debet esse similis sibi cognitæ, non autem cognitioni, cuius solius actualitas supponitur.

ADDO. Posse fieri hæc Quæstionem, & de re, & de voce; de voce erit Quæstio, si ex eo, quia nihil est, quod non cognoscat Deus, in infinito syncategorematico, inferas, dici illud debere categorematicum in notitia, & tunc in re verum dices, licet malè phrasi id exprimas: De re autem erit Quæstio, si in ipso objecto, nullam potentialitatem agnoscas, relucens in illa notitia, quamvis tenentem se, non nisi à parte objecti, negamus enim illam potentiam non relucere in illo objecto.

DE ALIIS PROPRIETATIBUS CORPORIS.

AGemus imprimis de Motu, & eius Termino, seu Vbi, tum de Duratione. Et licet hæc proprietates, non sint proprie soli, conveniunt tamen etiam corpori.

DISPUTATIO XII. De Motu.

PRIMO quidem agemus de Motu in communi: postea de eodem in particulari; ac denique de inceptione & desitione motus.

QUÆRES PRIMò. Quid sit motus in communi?

RESPONDET Aristoteles 3. Phys. textu 6. & 11. *Motum esse actum entis in potentia, prout in potentia.* Dicitur *actus*, sumendo ly *actus*, non pro solo actu perfecto, qui convenit formis, ad quas datur motus, suntq; ipse terminus motus; sed sumitur ly *Actus*, pro solo actu imperfecto, & medio ad terminum, qualis motus est calefactio ad calorem: ne autem æquè latè pateat definitum ac definitivum genus, debet ly *actus* sumi, prout est quid commune, ad actum perfectum, & imperfectum; ut ita ly *actus* latius pateat, præ ipso motu. Dicitur *actus entis*, ly *ens* sumendo, non transcendentaliter, sed participaliter; id est existentis subiecti. Cæterum hæc prioritas existentiae, sufficiet ut sit prioritas, non temporis, sed

naturæ, & sic si sol ab æterno profudisset lumen, ille fuisset motus, licet subiectum non antecessisset tempore, sed naturà. Dicitur *entis in potentia prout in potentia*, ut significetur, quod adveniat enti, in pura potentia ad terminum habendum, existentis; & formæ accessu, jam est in actu terminus, non verò in potentia prout potentia ad illam formam. Inferes, si Cæli, quamvis ab æterno moverentur, motui illorum conveniret hæc definitio, quia sufficit, ut diximus, prioritas naturæ: & quia fuissent, & nunc sunt in potentia, respectu illius distantiae, quàm ratione partium successive motarum acquirit cælum. Convenit item motibus violentis: quia ly in potentia, sumitur pro sola capacitate connotante negatione actus, sive illa sit capacitas, pro forma appetita, tanquam bono subiecti, sive sit illa capacitas innaturalis. Et quia ratione eorū, quæ jam acquiruntur per motum, non est actus entis in potentia, prout in potentia, sed actus entis in actu.

DIFFICULTAS I.

Motus per se localis, potestne salvari sine modalitate?

in actu: inde quando successivè fit motus, ad aliquas formas, respectu illarum partium, quæ sunt acquirendæ, est motus, non verò respectu, jam acquisitarum. Ubi ulterius vides, ly *in potentia prout in potentia*, importare terminum à quo; quando autem dicitur esse *actus entis*, importatur terminus ad quem.

QUÆRES secundò, *Quid motus superaddat actioni & passioni?*

RESPONDETUR. Hæc in re idem esse, sed tantum superadditur ly *in potentia*, prout in potentia, qui termini jam supra explicati. Ratio, quia nulla est necessitas, hæc cōdistinguendi, & quia aliàs, si motus esset quid distinctum ab his, daretur motus ad motum.

QUÆRES tertio, *ad quæ prædicamenta datur motus?*

CENSET Aristoteles ad tria prædicamenta, rigorosè loquendo, dari motum, hoc est ad quantitatem, qui motus vocatur accretio; ad qualitatem, qui vocatur alteratio; & ad ubi, qui motus vocatur latio. Sed datur ne motus ad substantiam? affirmat Arriag: negat Aristoteles 5. Physic: textu 18. & 11. quia motus debet esse à contrario ad contrarium, partes autem substantiæ, quæ aggeneratione acquiruntur, non sunt à contrario ad contrarium, quæ etiam contrarietas in accretione reperitur: quia una pars quantitatis expellit aliam, in aggeneratione autem, una pars substantialis, per se non expellit aliam. Item non datur motus ad Relationem, quia hæc non acquiritur per se, sed per accidens; non datur ad actionem, & passionem: quia illis identificatur. Non ad Situm, Quando, Habere; quia hæc sequuntur per accidens motum, in aliud prædicamentum, & non acquiruntur ut termini per se: ita enim Situs, acquiritur ad ubi; Quando ad motum cælorum, Habitus ad motum localem vestiti & vestis. De specificatione motuum & individuatione agitur alibi, ubi scilicet de actionis specificatione.

QUÆSTIO I.

De Motu Locali, ut sic.

EX dictis immediatè, conficitur hæc definitio *Motus localis, quod sit actus entis in potentia ad locum, prout in potentia*. Positâ hâc definitione primò controversandum venit; an motus localis importet modalem entitatem, vel non; & quia procedere potest, vel de motu locali per se, ut cum homo, vel Angelus ipse se movet; vel de motu per accidens, ut cum acquiritur novus locus, per exercitium loco motivæ alicujus aliūs, ut sit homo vehatur in navi, vel si moveatur Dæmon in corpore energumæni, hinc sit

DICENDUM est primò. *Sine modali entitate, non possè salvari motum per se.*

PROBARI solet primò. Quia, si motus non importaret entitatem superadditam, esset ipsum mobile cum aliquibus circumstantiis; sed hoc non, quia mobile debet efficere motum localem, Ergo motus localis non est ipsum mobile: aliàs seipsum efficeret, Antecedens probatur usu communi loquendi.

RESPONDERI posset, motum effici actione non productivâ, sed adductivâ: idem autem se ipsum adducere potest.

PROBARI solet secundò. Si motus non esset quid superadditum, non moveretur mobile, nec mutaretur per motum, sed mutatur. Ergo. Seq: Prob: quia nihil mutari dicitur, nisi secundum acquisitionem intrinsecam, alicujus entitatis de novo; & certè, si ad mutationem non esset necesse acquirere extrinsecè, aliquam de novo entitatem, DEUS cum hodiè desinit esse præsens animali cui erat heri præsens, eò quod hodiè sit mortuum, diceretur propterea immutari.

RESPONDERI potest: quod mobile per motum moveatur, & mutetur extrinsecè, & ratione connotatorum: quia scilicet, ea connotata non habet mobile ante motum, quæ habet in motu, & sicut sufficit ad denominationem Patris, mutatio in extrinsecò connotato, ita & in præsentis consequenter dicitur hæc mutatio, esse ratione extrinseci.

PROBARI solet tertio. Motus localis ex ratione localis, est actus, si actus est: Ergo debet actuare, debet recipi; si debet recipi, debet esse quid condistinctum, nihil enim recipit seipsum.

RESPONDERI potest. Motum esse actum non entitativum, sed formalem, recipique per modum formalitatis.

PROBAT quartò Amic: disp. 6. de Ang. Sec. 2. Moveri ad locum, est novus effectus realis; sed hic haberi non potest, nisi vi modalitas superadditæ. Ergo. Antecedens Probatur. Quia deferere unum locum, & alium comparare, est novus effectus, & realis, quia est effectus potentie realis, virtutis scilicet motivæ, omnis autem virtus realis effectiva, terminari debet, ad aliquid reale.

RESPONDEBUNT Nominales. Moveri ad locum, esse novum effectum realem formalem, seu prout reale opponitur ficto, & intentionali, sed non esse effectum realem, prout reale desumitur à re. Nego item dari realem hoc sensu potentiam motivam, hoc est distincti entitative motus productivam. *Hinc aliter*

PROBATUR quintò Conclusio argumento negativo, aliàs à nobis usurpato. Impossibile est transire à contradictorio ad contradictorium sine sufficienti mutatione. Ergo nec transibitur sine illa, à non esse moti localiter; sed nisi ponatur entitas modalis, non ostendetur sufficiens mutatio. Ergo.

RESPONDENT primò Nominales. Sufficiens mutatio est, si dicatur motus, esse ipsum mobile, unitum successive loco majori se.

CONTRA. Potest esse entitas mobilis, & entitas loci; & non esse illud successive unitum, per quid ergo transit ad esse successive unitum?

RESPONDENT secundò: per novam formalitatem.

CONTRA. Potest esse entitas mobilis, & loci, & non esse successive unita, & non esse habens istam formalitatem, per quid ergo transitur ad esse habentis illam?

RESPONDENT tertio, seipso transire mobile.

CONTRA: Potest esse à parte rei mobile, & locus, & non esse mobile successive occupans locum, & seipso transiens; quæ ergo erit sufficiens mutatio, ut transeat ad esse successive locum habentis, & seipso transeuntis? Agnosco quidem, quod interdum ab uno contradictorio ad aliud transiri possit seipso, sed hoc fit, quando aliqua negatio sufficiens de novo ponitur, vel nova entitas. Et certè, sicut esse, seipso est esse, & à non esse, seipso transitur ad esse; ita à non esse negationis, ad esse negationis posita, sufficienter transitur, positione novæ negationis. Neque valet si dicas. Negatio si de novo ponatur, est sufficiens ad transitum mutatio, erit ergo etiam sufficiens mutatio, si nova formalitas ponatur; nego enim illam posse dari, si aliquid vel extrinsecè, vel intrinsecè, præter illam non sit mutatum, sive in entibus, sive in non entibus; & ita ad formalitatem relationis similitudinis, non potest transiri sine nova qualitate, ad esse ubi, sine negatione distantiae &c: illa enim formalitas, est nova conceptibilitas, nova autem conceptibilitas, advenire non potest, sine nova mutatione extrinsecà, vel intrinsecà, in entibus, vel non entibus.

RESPONDENT quartò Nominales. Mobile à non esse moti, ad esse moti; transire negatione successive acquisita.

CONTRA: Tum quia, redit argumentum, per quid transeat ad esse acquirentis, à non esse acquirentis. Ubi non quæro, per quid transeat, à non esse dicentis negationem distantiae, ad esse dicentis negationem distantiae: ad hoc enim transitur, ipsa negatione distantiae; sed quæro præcisè, per quid transeat, à non esse acquirentis? Tum quia: fieri potest, ut successive acquiratur nova negatio distantiae, sine ullo motu; ut si persistente mobili, DEUS loca, à quibus negationem distantiae dicebat mobile, promoveat ad ipsum mobile: det item DEUS mobili,

vim successive replicandi seipsum, per hoc non movebitur localiter, & tamen successive acquirat negationes distantiae varias. Ergo ratio motus non stat formaliter, in ista successiva acquisitione indistantiae à loco. Tum quia esse in loco, & esse in motu, non sunt idem. Ergo cum esse in loco, sit distantiae negatio, motus per illam explicari non debet.

Neque valet, si dicas, quod esse in loco, sit dicere negationem distantiae permanenter, jam autem fluenter & successive illam dicere, pertinet ad motum: non inquam valet; quia potest esse ubi, non nisi instantaneum, adeoque non permanens: potest etiam esse ubi successive, ut si successive locus mutetur, & tamen, sine ullo motu mobilis. Rursus per quid transitur ad ipsum illud fluenter.

RESPONDENT sexto Nominales: Motum, esse ipsum mobile, quatenus non replicatum, successive habet negationem distantiae à loco.

CONTRA: Tum quia, stat altera instantia, casu scilicet, quo DEUS moveat ipsa loca, immoto mobili. Tum quia: hoc quod est successive habere negationem distantiae, vel ly successive importat, quod negatione distantiae acquirat portando, & ferendo se, ab una parte, ad aliam, vel importat solum, quod negatio distantiae, una post aliam sequatur: Si importat primum, petitur principium: quia si interroganti, quare mobile moveatur, dicas; quia movetur: petis principium, de hoc enim ipso procedit questio. Ergo etiam si dicas: idem aliquid moveri; quia portat se, petes principium: Si autem dicatur secundum, quod scilicet importetur sola successive negatio distantiae, sive moveatur ipsum mobile, sive non. Contra erit: quia hic agitur de motu. Ergo formale illius, debet esse tale, quod non competat illis, quæ non moventur. Jam autem successive negatio distantiae, potest ex dictis competere iis, quæ motu suo non moventur. Immo & quando Angelus non pertransiendo medium, transit ab extremo ad extremum, non habet motum successive, & tamen habet successive negationem distantiae. Tum quia redit argumentum factum, per quid mobile non replicatum, quod alio modo potest negationem distantiae etiam successive habere, transeat à non esse habentis, per motum illam indistantiam, ad esse habentis per motum.

DICENDUM est secundò. *Motum non aliud esse nisi ipsum mobile*, prout determinat se quæ tale, ad esse illic, ubi non fuit, determinatione involvente modalitatem, restrictè que loquendo, de motu locali; motus localis erit ipsum mobile, prout determinat se, ad esse in illo loco, ubi non fuit. Ratio primæ partis Conclusionis est: quia si nihil obstat, debemus quàm proximè accedere ad sententias Aristotelis, qui 8. Phys. textu 36. motum mobili identificat. Secundæ autem partis ratio est: quia non importat illa determinatione modalis.

dali, non poterit salvari transitus, à contradictorio ad contradictorium.

Obijctur primò. In illo formaliter confisist motus, quo solo, sine ulla superaddita entitate posito, fit motus: sed posito mobili non replicato, cum successiva indistantia à loco, intelligitur motus. Ergo.

RESPONDETUR. Neg: Minorem, etiam propter instantiam, casu scilicet, quòd DEUS ipsum locum promoveat successive ad mobile.

INSTAB: primò. Ergo sufficet explicare motum, per acquisitionem successivam indistantia, modò non moveatur locus, nec replicetur mobile.

RESPONDETUR. De hoc ipso querendum esse, quid sit, non moveri locum, eundemque moveri.

INSTAB: secundò. Casu quo DEUS locum promoveat, versus mobile, ille locus, successive acquirit indistantiam à mobili, & non mobile ad locum.

RESPONDETUR. Hæc duo esse relativa, & si unum successive indistat, etiam aliud successive indistabit.

Obijctur secundò. Ly: illic, in conclusione positum, significat, quòd scilicet mobile, in loco ponatur per motum; sed motus non debet explicari per locum: quia locus impertinens est ad motum localem. Quod ipsum, probatur: quia motus potest fieri in vacuo, & in spatiis imaginariis, ubi non est locus.

RESPONDETUR. Ly: illic, in conclusione positum, consultò, & non ly, in illo loco, qui ly illic, est universalis, communeque ad locum, & ad vacuum v.g. habetque seita, sicut spatium, quod est commune ad Locum, Vacuum; Spatia imaginaria, &c. Hinc si moveretur Angelus in vacuo, acciperet illic esse, ubi antea non fuit.

Obijctur tertio. Sit Petrus replicatus Cracoviæ, & Romæ: abeat Romam, non erit illic, ubi non fuerat, & tamen moveretur localiter. Ergo motus localis potest esse sine illic, in quo aliquis non sit.

RESPONDETUR. Petrum prout replicatum Cracoviæ, non fuisse Romæ: replicatus autem Cracoviæ, per motum acciperet illic esse, solumque illic fuit, prout positus Romæ.

Obijctur quarto, iste qui de liberat, ut erat, & concludit eundem esse, est determinatus ad esse illic, ubi non fuit, & tamen hoc ipso non it. Ergo malè per hoc explicatur motus.

RESPONDETUR. Determinatio alia est voluntatis, & hæc nō est itio, sed determinatio potentia motivæ, posita ad esse hic, est motus & itio.

INSTAB: Si ipsum locum DEUS approximet, mobile erit illic, ubi non fuit, & tamen non movebitur. Ergo mala est hæc explicatio motus.

RESPONDETUR, dato casu Antecedentis, mobile non quā tale, sed quā locatum, erit illic, ubi

antea non fuit, determinatione non in se recepta, sed in ipso loco.

Obijctur quintò. Si motus localis esset motus, quando Angelus v.g. successive movetur, vel producit modalitatem illam successivam, vel non? Si non producit, Ergo vel successive non movetur contra suppositionem, vel salvari potest motus, sine successiva modalitate: si autem producit, contra erit: quia, si producitur successive modalitas, producitur modalitas habens prius & posterius, & tunc non potest explicari, quando fit motus: non enim cum est prius, quia tunc nondum est successio: non etiam quando est posterius: quia quando est posterius, non est prius, adeoque nec successio, consequenter nec determinatio illa successiva.

RESPONDETUR. Hoc argumentum, in omni sententia est solvendum: qui fiat motus successivus? sicut ergo alii dicent motum successivum salvari, & ratione ejus, quod præterit, & ratione ejus quod est, mensurando hoc, tanquam per aliquid notius, per spatium acquisitum, vel vi illius acquisibile, ita & nos in præsentia dicemus.

DIFFICULTAS II.

Motus per accidens localis, potestne salvari sine modalitate? &c. &c.

DICENDUM est. Motum per accidens non importare ullam determinationem modalem. ita Vasq: 1. parte disp. 159. Cap. 4. quamvis oppositum teneat de motu per se.

PROBARI solet primò, ex Aristotele 4. Phys. tex. 32. ex cujus Auctoritate, sic formatur argumentum: Si requiretur modalitas ad motum per accidens, deberet principiari à moto per se, & recepi etiam in moto per accidens: sed hoc non: quia si hoc fieret, mutaretur motu illo recepto, mutaretur inquam motu per accidens, sed non mutatur: expressè enim dicit Arist: hæc enim sic transmutant locum, quia id, in quo sunt, transmutatur. Rursus quando Musicus ædificat, non est necesse principiari illam actionem à Musica, sed tota illius causa, tribuitur Architectonicæ: Ergo & quando aliquid movetur per accidens, principiatio illius motus, & receptio tota, tribuetur moto per se, & non moto per accidens.

PROBARI solet secundò. Ponamus vehi Angelum, illo casu, motu ventionis movebitur Angelus, & tamen sine entitate superaddita. Ergo motus per accidens, non importat modalitatem. Antecedens Prob: quia illa entitas, vel esset corporea, vel spiritalis: Si corporea, connaturaliter in re spiritali recipi non poterit. Si spiritalis: Ergo à re materiali, hoc est vehente, produci non poterit.

RESPONDE BIS. Produci tunc à DEO motum spiritualem, recipiendum ab Angelo.

CONTRA erit: Tum quia, quomodo jam propriè dicetur, res illa materialis, vehere Angelum? Tum

Tum quia recurrere ad DEUM, non est Philosophicum. Tum quia ponamus, saltē miraculose non produci à DEO illam qualitatem, & nihilominus Angelum non seungi à corpore: quæ enim in hoc implicantiā non petens principium? procedat vectura, quæro vel movebitur Angelus, vel non? Si movebitur, Ergo productio illius modalitatis otiosa est: Si non movebitur, Ergo non acquirit successivè alias partes spatii, quod est contra suppositionem, quæ supponit in vectura pergi.

PROBATUR tertio. Quia nulla est necessitas, ad ponendum hunc motum, requirere entitatem superadditam, quia à non esse moti, ad esse moti, poterit sufficienter transiri per hoc, quia erit illic, ubi non fuit, ad quod ipsum sufficiens mutatio erit, copulatio & inditantiā à per se moto, quā inditantiā & copulatione positā, impossibile est illud non moveri, si aliud movetur.

Hinc colliges, motū per accidens, Esse ipsum mobile, prout translatum per spatium.

OBJICIT primò Amicus. Angelus est in corpore vehente, per solam voluntariam assistentiam: Ergo moto corpore, non necessariò movetur. Ergo ut moveatur, debet per intrinsecam mutationem in se receptam moveri.

RESPONDETUR, moto corpore, absolute loquendo, non necessariò movetur Angelus, movetur tamen necessariò ex suppositione, quod nolit deferere corpus, quod per se movetur.

OBJICIT secundò idem. Non majorem habet colligationem, Angelus ille, cum corpore energumeni, quàm habeat cum sphaera locabilitatis alius Angeli: moto autem alio Angelo, aut sphaeram suæ locabilitatis alio transferente, non est necesse, alium moveri.

RESPONDETUR. Ex suppositione colligationis cum corpore energumeni, & nolitionis distare ab illo, magis cum illo corpore necitur, quàm cum sphaera alius Angeli: licet non habita hac suppositione, non magis necitur cum illo, quàm cum sphaera locabilitatis alius Angeli. Sic v. g. si homo penes sit rhedam, non est necesse illum moveri motā rhedā, sed si sit in rhedā, movebitur motā rhedā: Porro Angelus, etiam ambitus sphaera locabilitatis, alius Angeli, est sicut ad rhedam, nullam colligationem cum illa importando: est autem in corpore Energumeni, sicut in rhedā corpus, omniaque habebit, quæ sufficiunt, ut dicatur ille Angelus motus, Angelo non intendente præcisè se movere, sed intendente non nisi, ut corpus illud, non deferat.

OBJICITUR tertio. Impossibile est, ut subjectū habeat, intrinsecum suum effectum formalem sine forma, quod tamen principium in præsentī falsificaretur, si ille Angelus moveretur sine receptione ullius motus in se. Quod ipsum probatur: quia successivè transferretur in corpore, essetque illic, ubi antea non fuit, qui est effectus formalis, intrinsecus, motus localis; & tamen,

per nos, non reciperet in se motum. Et certè corpus illud energumeni, ideo dicitur recipere motum, quia successivè per spatium fertur. Ergo etiam, quia ille Angelus, successivè per spatium fertur, debet etiam in se recipere motum.

RESPONDET primò aliquis apud Amic: In motu locali, esse duos effectus formales, alterum intrinsecum, qui non distinguitur ab impetu locali, alter extrinsecus, qui est successiva coexistentiā mobilis ad spatium: repugnat ergo mobile, habere priorem effectum, absque motu locali, sed non posteriorem. Et sicut per solam extrinsecam temporis mutationem, res dicitur coexistere variis partibus temporis, ita per solam extrinsecam mutationem, coexistere poterit Angelus variis partibus loci. Quod autem dicit Amicus, implicare, ut hi effectus separentur, hoc ipsum probandum fuisset: defecto enim etiam quantitatis secundarii effectus, impediuntur in Eucharistia.

RESPONDETUR secundò Neg: Minorem, Successivè quidem transferretur Angelus, sed non translatione à se principiata, vel in se receptā, sed translatione corporis, cui unitur; unde si transferret, & non haberet motum, tunc esset effectus formalis sine forma; sed si transferatur, non erit tunc effectus formalis motus in Angelo, sed in corpore, quod se transferret. Breviter, transferri, non est effectus formalis motus, sed transferre se; non se autem tum transferret Angelus, sed transferretur.

INSTABIS: cur per se, modalitatem superadditam importet, & non importet motus per accidens?

RESPONDETUR imprimis, quia positā modalitate superadditā in moto per se, & negatione distantia à corpore moto, sufficienter intelligitur, quomodo acquirat novum spatium, motum per accidens; non intelligeretur autem illa acquisitio spatii nova in moto per se, sine superadditā modalitate, secundum dicta supra. Rursus omnis modalitatis, subjectum est necesse ostendere, illius autem modalitatis, quæ in Angelo moto per accidens recipi deberet, nullum proportionatum subjectum, ostendi potest: supponitur enim motus ille esse materialis, principiatu à corpore energumeni, materiale autem non recipitur connaturaliter in aliquo spirituali. Quod si motus ille sit spiritualis, principiarī non poterit ab energumeno, secundum dicta supra.

OBJICIT quartò Dicast: D. 6. de Eucharistia Num. 15. auctoritatem Aristotelis 2. Top. C. 3. *Motis nobis, necesse est ea, quæ sunt in nobis, simul moveri.* Unde etiam infert S. Thomas, Christum moveri per accidens secundum esse, quod habet in Sacramento.

RESPONDETUR. Concedo, quæ sunt in nobis, simul moveri, sed motu ipsius per se moti, v. g. necesse est Christum moveri in Eucharistia, non motu proprio, sed motu specierum.

INSTA:

INSTAT. Etiam Christus in Eucharistia, habet motum proprium, & intrinsecum, & acquirit propriam praesentiam intrinsecam.

RESPONDETUR. Negando habere tunc Christum motum proprium, acquirit autem praesentiam, licet motu non nisi specierum.

OBJICIT quintò idem. Dum accidentia consecrata moventur, incipit Christus esse substantialiter praesens in novo loco accidentium, non quidem per solam motionem specierum, sed per modum praesentiae ipsi intrinsecum. Ergo dum moventur accidentia, movetur Corpus Christi.

RESPONDETUR. Incipit quidem Christus esse praesens noviter, sed illa praesentia, non est ulla Modalitas, & licet esset, sufficienter acquiri posset, motis solis speciebus.

OBJICIT sexto idem. Accidentia recepta in quantitate, non sunt realiter praesentia in loco, per solam motionem, aut praesentiam quantitatis. Ergo idem, dicendum de Corpore Christi.

RESPONDETUR. Si concedatur accidentibus receptis in quantitate motus per se, alia erit de illis ratio, alia de Corpore Christi in Eucharistia, quod per se non movetur.

OBJICIT septimò. Unio humanitatis cum Divinitate, non facit, ut humanitas sit in loco, in quo est Divinitas, aliàs esset ubique. Ergo nec unio humanitatis cum accidentibus, est formaliter sufficiens ad existendum in loco accidentium.

RESPONDETUR. Ob inadæquatam locabilitatem (ut ita dicam) Divinae, unionem humanitatis cum Divinitate, sequitur, ne ubicunque est Divinitas, illic sit humanitas. E contra ob adæquatam locabilitatem humanae, Divinitatis unionem, sequitur, ut ubicunque est humanitas, illic etiam sit Divinitas. Quia autem, licet accidentium illorum, non est unio adæquata locabilitati humanitatis: Unde haec accidentia non sunt in Caelo, ubi est humanitas, cum tamen humanitas sit adæquate unita locabilitati illorum accidentium: habent se enim in hoc genere, sicut humanitas ad Divinitatem; Hinc fit, ut ubicunque sunt accidentia, illic etiam sit humanitas: licet sine ullo motu sui. Sicut suo modo est & Divinitas, ubi est humanitas Christi, idque sine suo ullo motu.

DIFFICULTAS III.

Estne de essentia motus localis, esse successivum, & quid de motu puncti?

PRÆMITTO primò. *Motum localem, alium esse continuum, alium discretum.* Motus continuus est, cum per partes, non interposita quiete, acquiritur spatium. Motus autem discretus est, cum totum simul acquiritur spatium.

PRÆMITTO secundò. *Alium esse motum, qui fit per medium, ut cum palmi prius medietas, quam totus pertransitur; alius sine medio, qualis in Angelis admittitur.*

PRÆMITTO tertio. *Ly motus successivus, non supponit pro motu materiali: quia etiam Angeli successivè possunt moveri, nec ly: motus discretus, supponit, pro motu spirituali, cum non hoc ipso, quia moventur Angeli, principiantque motum spirituale, censeri debeant, non nisi discretè moveri.*

DICENDUM est primò. *Motum localem successivum, non posse fieri in instanti.*

PROBATUR primò. Ille motus si daretur, & esset in instanti, ut supponitur, & non esset in instanti: quia id, quod per partes fit, non est in instanti. Sed motus ille per partes fit, quod probatur. Quod fit per prius & posterius, per partes fit; sed motus ille fit per prius & posterius: fieret enim, ut vis, successivè. Ergo per partes fit.

Hic ipse medius terminus, sic aliter proponitur. Ponamus terminum à quo A, medium C, & terminum ad quem B. Quæro: mobile, vel prius est in C. quam in B, vel posterius est in C, quam in B, vel æquè primo in C. ac in B? si est posterius in B, quam in C. Ergo prius est, in remotiori, quam in propinquiori, quod repugnat; si posterius est in B quam in C; Ergo in B, non est in instanti: quia instans prius & posterius non admittit. Si æquè primò? Ergo motus ille, non est successivus: quia successivum definitivè involvit prius & posterius.

Idem alia imaginatione proponitur. Demus per eosdem terminos, mobile. D. moveri; & aliud mobile. F. duplo velocius, quæ velocitas in successivo motu admitti potest. Terminus autem à quo motus, sit A, & terminus ad quem B: quo posito sic formatur argumentum. Cum jam F. ultimò non movetur, sed jam est in termino B, vel jam pervenit mobile D? vel: non pervenit? Si pervenit, Ergo æquè citò mota sunt; Si non pervenit: Ergo D. non in instanti, per motum illum successivum, sed per partes, attingit terminum B, vel mobile F. in medietate instantis attingit terminum B. quod impossibile est.

PROBARI solet secundò. Quia, si motus successivus fieret in instanti, sequeretur quòd aliquid esset in duobus locis simul. Ponamus terminum motus à quo A, & terminum motus ad quem B, illo instanti, quo mobile esset in A, eodem etiam instanti esset in B. Ergo esset in duobus locis. Antecedens probatur: quia si eodem instanti, quo esset in A, non esset in B, non in instanti acquireret B. quod est contra suppositionem. Ergo esset eodem instanti in utroque, adeoque in duobus locis.

Confirmatur: quia si daretur motus successivus in instanti, possent. F. & D. simul moti, transeundo ab A per C. ad B. ita ut F. incipiat ab A. jam autem D. à B. ita moveris ut sibi

nun

nunquam occurrant in medio. Quod ipsum probatur: quia illo instanti; quo F, est in B, non potest illi D, occurrere in C; cum jam F, supponatur esse in B: instantaneè enim acquirit F, locum B. Ergo in medio, non sibi occurrunt: si autem in medio non sibi occurrunt, quomodo motus ille erit successivus?

PROBATUR tertio. Motus instantaneus non fit in successivo, seu in tempore, nec mensuratur tempore. Ergo nec motus successivus mensurabitur instanti, quia ab utraque parte, est æqualis improprio.

DICENDUM est secundò. *Motum discretum localem, posse fieri in instanti.*

PROBATUR primò: quia id non implicat.

PROBATUR secundò: quia tali motui, conveniret definitio motus, nam in priori naturæ, antequam intelligatur acquisivisse id spatium, quod in instanti acquirit, erat sub privatione illius, adeoque in potentia ad illud.

PROBATUR tertio. Motus discretus, ex sua ratione non dicit partes, nec hoc requirit definitio illius. Ergò bene potest fieri in instanti.

Uterior modus, defendendi hanc conclusionem, petatur ex materia, de motu Angelorum.

Quod ad secundam partem tituli attinet. Negavit Aristoteles posse moveri localiter punctum, affirmavit Scotus in 2. dis. 2. q. 9.

PRIMUM ARGUMENTUM Aristotelis est ex 6. Phys: Tex: 37. & 87. Quod sic habet: Si indivisibile moveretur, esset divisibile, quod absurdum est. Seq: Probatur: quia deberet esse partim in termino à quo, partim in termino ad quem, siquidem si tantum esset in termino à quo, vel tantum in termino ad quem, non moveretur.

RESPONDETUR. Debere esse partim, non paritate mobilis, sed paritate spatii, argumentumque multum probaret: quia probaret Angelum, non posse unquam localiter moveri: Quo etiam modo solvi debet Tex. 88.

SECUNDUM Argumentum ejusdem est ex tex: 89. Impossibile est moveri per majus se, nisi prius, moveatur per æquale sibi: aut minus se; sed si punctum moveretur, non posset moveri per æquale sibi: quia aliàs illud medium constaret ex indivisibilibus. Nec per minus se; quia nihil minus est indivisibile.

RESPONDERI posset. Majorem esse veram de motu partibilis divisibilisque mobilis. Addi potest, motui illius puncti, nihil proportionatū responsurum, in spatio divisibili: de quo aliàs. Probat etiam argumentum multum: quia probat Angelum, colligentem se in indivisibile, moveri non posse.

TERTIUM Argumentum est ex Tex: 90. Quod mevetur, in aliquo tempore debet moveri: Ergo & punctum movebitur in tempore; in quo autem, si in hoc, in quo verum est dicere: Nunc instans movetur; illud ipsum, vel est divi-

sibile, vel indivisibile: Si divisibile, Ergo in Minori adhuc tempore posset moveri aliquid, quam moveatur punctum, quod est absurdum: nihil enim est minus puncto: Si autem aliud tempus indivisibile est: tempus non est.

RESPONDETUR. Duplicem motum puncti posse spectari, discretum & successivum. De discreto motu puncti, hoc potest teneri: Motus discretus rerum materialium divisibilium, nunquam potest esse talis, quin successionem aliquam importet, tam ratione spatii divisibilis, adeoque non nisi per partes acquisibilis, quam ratione ipsius mobilis, quod habens partes, ex quibus componitur, non potest principiari motui, nisi ille ipse motus partes habeat. Vocatur tamen discretus: quia illius ipsius motus admittit interruptionem, nec tractu evolvitur, sed per quietem. Cæterum ex adverso, motus puncti potest esse discretus, ita ut nullam successionem involvat: neque enim tenetur producere motum, partes involventem, cum ipsum careat partibus, talisque motus mensuratur quidem tempore, hoc sensu, quia est intra ambitum cælorum, nunquam à motu desistentium, sed non mensuratur tempore, quasi debeat aliquid proportionatum respondere in tempore, motui illi instantaneo. Rursus alius motus puncti, potest poni successivus, non quod etiam, in motu successivo non acquirit punctum totum spatium, quod acquirit, sed quia potest, v. g. per lineam palmarem moveri, ita ut uno instanti, non pertranscat totum, & talis motus, ratione spatii occupabilis, mensurari potest tempore.

QUARTUM Argumentum est Amici, qui id saltem naturaliter negat fieri posse, supposita etiam existentia puncti, motus successivus, est accidens extensum, consequenter debet subiectari in subiecto extenso; tale autem subiectum, non est punctum.

RESPONDETUR. Argumentum multum probare; probaret etiam Angelum, nunquam posse moveri, motu successivo, si redigatur in punctum. Quod si dicas, in Angelo admitti motum successivum, succedentia tenente se à parte spatii, non occupati simul, ea succedentia, etiam in præsentia, admitti potest. Rursus partes duplices considerari possunt, quædam materiales & divisibiles, harum res spiritualis incapax est: & aliæ partes spirituales, quales passim admittuntur in gratia augmento, habituum & c. tales partes, in re spirituali bene subiectari possunt: ita etiam partes motus, bene in re indivisibili subiectari possunt, admitteretq; hoc, is, qui veller admittere motum successivum, in puncti succedentia: etiam à parte motus se tenente.

QUINTUM Argumentum. Si punctum moveretur, moveretur per indivisibile motus: per indivisibile autem motus, subiectum non movetur, sed quiescit: quia indivisibile motus, non est motus, sed acquisito spatii.

RESPON-

RESPONDETUR. Indivisibile motus, in fieri occupationis spatii acceptum, motus est, in facto autem esse occupationis spatii, quies est. Deinde posset illud indivisibile, non moveri per indivisibile motus; quia posset moveri motu tali, quo tardior posset principiari ab eodem puncto.

ADDO id, quod communiter dicitur. Mobile in motu occupare spatium majus se, ita est intelligendum: Quod si includat terminum à quo, & terminum ad quem, hoc ipso occupatur à mobili spatium majus mobili: sed si includatur illud præcise, quod occupat, non est majus illo, quia quidquid est majus illo, jam illud non occupat, alias in occupatione, esset mobile majus se ipso.

QUÆSTIO II.

De Speciebus motus.

MOTUS omnes specie decurrere, longum est, sed suis locis omnia expediuntur: nam de motu, qui est Generatio, Nutritio, Alteratio alibi dicitur. Magis propria hujus loci, maxime verò ea quæ ad motum localem spectant, hic attinguntur.

DIFFICULTAS I.

De divisione motus in tardum & velocem.

PUNCTUM difficultatis in hoc est, assignare causam tarditatis motus, quæ ut assignetur, hoc præ oculis debet haberi. Ponamus testudinem & aquilam, eodem quadrante horæ, mota; tunc vel tenes, componi quantitatem ex indivisibilibus, vel ex partibus; si ex indivisibilibus, ponamus fluxisse instantia temporis 10. primo instanti, quo movetur aquila, movetur etiam testudo, & utraque non potest conficere spatium minus, quam indivisibile: non potest etiam primo instanti conficere aquila plus, quam indivisibile spatium; quia alias in eodem instanti esset in duobus punctis spatii, adeoque in duobus locis. Quod si admittas componi quantitatem ex partibus, tunc si non subsistit testudo, quando aquila primam partem spatii percurrit; percurrat & testudo, adeoque æquæ movebuntur.

EXPLICARI solet primò tarditas motus, per interceptionem morularum, & velocitas per carentiam earundem: quæ hoc ipso importat pertransitionem majoris spatii: *Hec explicatio ex dictis supra in materia de quantitate*

NON SATISFACIT Certum quid est, quod inter dum tarditas contigit ex interceptione quietis, sed hæc ratio non est universalis: hic autem, queritur universalis ratio.

EXPLICAT secundò recetior Suar: secundum sua principia tenendo, quod quantitas permanens, non componatur ex indivisibilibus, secus

successiva: unde ille componit tempus ex solis instantibus, sicq; format explicationem. Ideò aquila v. g. inter duo instantia temporis citius movetur? quia currente aquila plura indivisibilia motus aquilæ fluxerunt, quam fluxerint testudinis, docetq; consequenter, quod quamvis in uno instanti temporis, non potuerit effluere plus, quam unum indivisibile motus; in duobus tamen instantibus temporis, potuerunt effluere plusquam duo indivisibilia motus; quia utrumque simul acceptum instans temporis, componit tempus, quod se solo, indivisibile unum non componit. Quod si duo instantia componunt tempus, in tempore illo divisibili, poterit dari motus velocior & tardior. *Hec explicatio*

NON SATISFACIT primò: Quia non solvit argumentum de circulo, in materia de quantitate propositum, quod iterato sic repetitur. Quando A, superior pars circuli, movetur velocius, & pars inferior ejusdem circuli B, movetur tardius, plura indivisibilia in motu partis A. fluxerunt, quam fluxerunt in motu partis B. Si plura indivisibilia motus fluxerunt, Ergo non commensurantur, nec respondent indivisibilia partis B, indivisibilibus partis A. Si non respondent, Ergo motus ille partis B, post motum partis B, tardius procedit, adeoque tardius partes relinquuntur post partes velocioris. Ergo etiam relinquent, se partes ipsius etiam mobilis: nam partes non moventur, nisi mota: consequenter deberet esse divisio partium circuli. Et certè quod faciunt morulæ, hoc faciunt indivisibilia illa motus pauciora in suo genere: sed ex dictis supra, morulæ si darentur, fieret discontinuatio circuli; Ergo & ex his paucioribus instantibus motus, daretur discontinuatio.

NON SATISFACIT secundò: Quia ponamus in duobus instantibus temporis A. & B. factum esse motum, si singillatim sumantur instantia A & B. motus velocioris & tardioris, non plura potuerunt affluere indivisibilia mobilis velocioris, ac tardioris, ut iste Author censet & ratio probat: quia æquæ illa indivisibilia motus, sunt indivisibilia, ac puncta temporis, sunt indivisibilia. Ergo minus alio non est; adeoque nec potest aliquid effluere, in motu tardioris, minus indivisibili motus, qui effluxit respectu mobilis velocioris. Ergo etiam neque in illis instantibus motus A. B. simul sumptis; potuerunt effluere plusquam duo indivisibilia motus. Quod ipsum probatur: Tempus illud compositum ex duobus indivisibilibus, nihil plus habet, quam illa duo indivisibilia. Ergo non majorem extensionem facit, quam illa duo indivisibilia singillatim, simul tamen accepta: quia alias fieret illic extensio major illius temporis, non ratione indivisibilium, sed ratione alicujus alius. *Neque valet, si dicas, fieri quid extensius propter connexionem: non inquam valet, quia si conjunctio duorum semipalmarum, non facit majorem extensio-*

† ff

nem

nem, quàm duorum semipalmarum, licet faciat denominationem palmi; sic conjunctio duorum instantium, non faciet quidquam extensus duobus instantibus, licet ut vult recentior Suar: fundet denominationem temporis.

NON SATISFACIT tertio. Ponamus in illis duobus instantibus temporis fluxisse tria indivisibilia motus, mobilis A. velocioris, & non nisi unum indivisibile motus tardioris mobilis B. Quæro, vel in primo instanti temporis, effluxit tantum pars indivisibilis motus A, vel unum indivisibile: Si pars? Ergo illud non est indivisibile motus: Si totum unum indivisibile? Ergo etiam illud conficiet mobile tardius B: ut ex dictis probari potest. Rursus quando in instanti secundo movetur A, deberet conficere indivisibilia duo motus: quo ergo modo, non erit mobile A, uno eodemque instanti, in duobus locis. Deinde si mobile A, secundo instanti conficit duo indivisibilia motus: Contra erit. Non potuit conficere primo instanti, duo indivisibilia motus: Contra erit. Non potuit conficere primo instanti, duo indivisibilia motus. Ergo nec secundo: quia hoc secundum est æquale. *Ut hoc explicetur:*

PRÆMITTO primo. Si motus velocioris & tardioris mobilis, mensuretur Solis instantibus, æquè citius utrumque movebitur: neque enim minus indivisibili motus, nec plus, in uno instanti confici potest. Quia verò illa indivisibilia, solum petuntur ex illa enuntiatione. Nunc est motus, quod Nunc, stare non potest, cum ratione prioris & posterioris, essentialiter importatis, à tempore Physicè accepto: ideo sicut illa enuntiatio non est nemine cogitante; ita nec illa mensura petita ex illa enuntiatione, erit nemine cogitante, sed nemine cogitante erit tantum objectiva veritas illius enuntiationis, scilicet existentia motus non finita. Cæterum si motus mensura, non sint illa instantia, non sequetur jam motus velocioris, & tardioris commensuratio. Ad quod intelligendum.

PRÆMITTO secundo. Mensuram tarditatis motus, & velocitatis, esse aliquam extrinsecam, & hæc non aliud est, quàm circulatio cælorum: quia scilicet duplò tardius, non potest conficere spatium, nisi effluant circulationes v.g. 20: quod spatium, velocius mobile, conficit intra spatium circulationem v.g. 10. Et licet quando circuli pars superior, conficit spatium sibi respondens majus, conficiat etiam pars circuli inferior, sub eadem circulatione cæli, suum spatium minus, non inde sequetur, esse æquales hos motus, quoad mensuram extrinsecam: quia scilicet, non respectu diversorum spatiorum, quæ conficiunt, sed respectu ejusdem spatii mensuratio accipi debet, quia scilicet si hoc spatium, quod habet pars circuli superioris, servato eodem motu, pars inferior, transiret, deberet plus circulationum cæli transigi, quàm fuerit transactum, decurrente parte superiori circuli.

Quoniam mensura tarditatis motus, & velocitatis extrinsecæ, sed jam à posteriori potest esse ex 4. Phys. Tex. 96. ipsum spatium, ita ut sit tardus motus, si scilicet parum similis loci transeat, velocior autem, si multum. Sed insuper

PRÆMITTO tertio. Præter mensuram extrinsecam tarditatis motus, dari etiam mensuram, quasi intrinsecam, & per modum principii fundans tarditatem, v.g. potentie motivæ debilitas, vel innotitivus defectus applicationis ex secundi de cælo tex. 36. & 4. Phys. tex. 71. Rursus dispositiones mobilis, qualis est figura apta, vel inepta ex quarto cæli tex. 42. medii commoditas, vel incommoditas ex quarti Phys. tex. 71. *His præmissis*

EXPLICATUR tertio. Cur v.g. aquila citius moveatur, quàm testudo? quia motus utriusque, non mensuratur instantibus, vi quorum deberet esse æqualitas in utroque motu, sed mensuratur divisibili, & composito tempore ex partibus: ita ut v.g. aquila, plures partes spatii, sub eadem circulatione conficiat, quàm testudo. plures autem ideo conficit, quàm testudo, quia major est vis motiva in aquila, quàm in testudine, proportionaturque illi majori vi, applicatio. Quare autem v.g. in circulo moto, partes inferiores non sejungantur, licet tardius procedant præ superioribus, sit hoc: quia quæ est proportio magnitudinis partium superiorum, ad partes inferiores, quoad quantitatem circularem, ea est proportio inter spatium conficiendum, à partibus superioribus, ad spatium conficiendum, à partibus inferioribus, datâ ergo propositione dupli, in quantitate partium circuli, datur etiam proportio dupli in spatio conficiendo: non ergo sejunguntur partes inferiores, quia cum pauciores sunt, minus habent sub eadem circulatione conficiendi spatii. Rursus ideo non sejunguntur illæ partes inferiores, quia id spatii percurrunt immediate sub eadem circulatione, quantum spatii percurrunt mediatè partes superiores: & quia mediatè percurrendo illud spatium minus, non sejunguntur à se ipsis, nec partes inferiores percurrentes idem immediate, sejunguntur ab illis superioribus.

CONTRA hanc explicationem potest inter alia, hæc proponi difficultas. Vel maxime in præfenti tarditas vel velocitas motus salvatur: quia scilicet principium motivum, habet vim percurrendi majus spatium, si fortè sit velocius, ex quo principio potius sequeretur, partes inferiores circuli, debere celerius moveri: sit enim manubrium in centro circuli positum, moveatur circulus, vis ei & impulsus æquè applicatur, immo magis partibus inferioribus circuli, quia vicinioribus immediate moto, deberet ergo inferior pars circuli citius moveri.

PRIMA Via occurrendi huic difficultati est, recurrendo ad idem nempè quod virtus illa motiva, magis applicetur partibus superioribus, quàm inferioribus: virtutis enim illius impres-

sio

Punctum Difficultatis 1.

Premittuntur quadam.

PREMITTO primò. *Esse aliqua projecta, quæ non nisi secundum modum, violentiam habent, ut quando lapis cum violentia deorsum projicitur, de hoc motu.*

ASSERO primò. *illum motum etiam à principio naturali produci.*

sio incipit à magis proximo, & postea in remota procedit: & quia motus ille causatus in immediatori parte, juvat motum alius se superioris, & ille superior, motum alius superioris: hinc suprema pars, habebit ex impressione virtutis à movente manubrium facta & insuper ex inferioribus motum suum juvantibus, majorem impetum: & sicut si sint circuli ita connexi, ut anse unius, arripiant ansas alius, tunc motus supremæ rotæ, non tantum à movente primario, sed etiam ab aliis circulis notabiliter augetur: ita idem fieret in præfenti. *Neg. valet, si dicas, vi hujus doctrinæ sequi, quòd partes remotiores illuminabiles, magis illuminentur conferentibus vim partibus immediatè illuminatis, sicut partes inferiores conferunt, ad motum superiorum partium circuli, non inquam valet: quia scilicet hoc experimur in rotis, non experimur fieri in luminoso. Et quamvis non experiamur, quod partibus superioribus, plus virtutis motivæ insit, cum tamen experiamur à posteriori id sequi, quod sequitur ex majori virtute motiva, vel applicatione illius, nempe celeritatem motus, ideo ex signo hoc, à posteriori colligimus, virtutem motivam majorem illic esse.*

HÆC VIA RESPONDENDI, non est universalis; quia accipiamus circulum, vel pilam: projiciat illam movens extrinsecum ut volvatur, eo casu, virtus impulsiva immediatè imprimetur partibus superioribus, utpotè vicinioribus, deberentque partes superiores juvare virtutem motivam partium inferiorum, si est constans doctrina adlata, & tamen partes circuli inferiores, tardius moventur, *hinc*

SECUNDA VIA satisfaciendi eidem difficultati est, scilicet posito, quòd æqualiter applicetur, omnibus partibus circuli, vis motiva, tardius movebuntur partes inferiores ex accidenti: quia scilicet, quamvis possent æquali celeritate & æquale spatium, sub eadem circulatione conficere, impediuntur situ quem medium habent, & ex altera parte, partes antecedentes, nec percurrere, nec penetrare possunt. Quod autem merè, propter dictum impedimentum hoc proveniat, signum à posteriori est: quia si illæ partes ponerentur loco superiori, consimilem cursum superioribus facerent.

DIFFICULTAS II.

De motu projectionis.

His de divisione motûs in tardum & velocem dictis, restat dicere, de divisione motûs in naturalem & violentum. Naturalis est, qui secundum inclinationem subjecti, violentus autè è contra. Et quia motus violentus maximè in projectione elucet, de hac agemus.

RATIO: Tum quia, si sponte caderet, produceret illum motum, cur detinebit suam actione, quando violentè producit. Tum quia si non concurreret ad productionem illius motûs, deberet se, vel attollere, vel resistere illi motui quod improbable est: nunquam enim habet vim, à centro recedendi, non etiam se habet merè passivè, quia majorem sentimus difficultatem in projiciendo eodem lapide fursum, quàm in projiciendo deorsum. Ergo apparet non à sola projectione, motum illum causari, cum tamen ad motum fursum, passivè se habeat lapis. Tum quia si ob aliquam causam non concurreret gravitas naturalis ad illum motum, ex eo non concurreret, quia esset malum illius; hæc autem ratio non convincit: nego enim illum motum esse malum illius, sed potius bonum, licet tale, quod à lapide haberi non possit, sine superaddito principio. Addatur gravitas tanta lapidi, quanta est sufficiens, talem motum ciere, quantum ciet virtus illa, non erit hoc violentum lapidi, & cur erit violentum, si hoc faciat aliunde habità virtute? Animal ex turri cadere est malum, & tamen casum illum principiat naturalis gravitas: dato ergo, quòd motus ille esset malum lapidis, non sequeretur jam inde principiari eundem à naturali virtute nullo modo posse.

Neque valet, si dicas, gravitatem respectu illius motûs, habere se solum, ut conditionem. Tum quia conditio, nunquam est principium idem agendi, & ita approximatio, nunquam irrita, & tamen aliàs gravitas principiat motum deorsum. Tum quia gravitas animalis, non est conditio sine qua non, ad motum, ex turri deorsum. Tum quia quodcunque ostenderis signum legitimum investigandæ non conditionis, sed principii agendi, idem ostendet, gravitatem non habere se per modum meræ conditionis.

ASSERO secundò, *motum illum non à sola gravitate innata, sed etiam à causa projectionis causari.*

RATIO, quia experimur projectum lapidem, citius deorsum descendere, cujus ratio non potest in aliud principium, quàm in projicientem, referri.

ASSERO tertiò. *Tunc projiciens plus agit, quàm gravitas, quando celeritas motus, excedit plus, quàm uniter, celeritatem naturaliter competentem.*

RATIO, quia si erit æqualis celeritas, æquè utrum

† ff 2

trum

rum ager: hinc si descendente lapide ut 2. cito, descendat ut 4. cito, æqualiter agent: si ut 5. magis ager projiciens. Quæ autem dicta sunt de motu gravium deorsum, proportionaliter applicanda ad motum levium sursum.

PRÆMITTO secundò. *Causam projectionis immediatam non esse semper ipsum projiciens.* quamvis sit semper causa mediata.

RATIO primæ partis: Tum quia, sæpè durat projectio, cum jam non existit projiciens. Tum quia vel producit aliquid, quod defertur etiam in medium, projiciens in projecto, vel non producit: Si non producit: ergo vel agit in distans, vel nulla est causa motus illius projectionis. Quod si producit aliquid: ergo quod volumus, mediatè agit. Tum quia distans non potest esse causa, nisi mediata, sed defacto projiciens à projecto existente in medio distat. Ergo illius projectionis causa immediata, non est projiciens.

RATIO secundæ partis: quia nisi ponatur projiciens esse causa mediata projectionis, nulla dabitur causa illius motus, reperireturque effectus sine causa.

PRÆMITTO tertio. *Causam projectionis & impulsus non esse solum aërem vel medium*, contra quam sensit Dandinus secundò de anima, Dig: secunda. Pereira, & alii, qui censent primò moveri projectum ab ipso projiciente, postea à medio, sine ulla qualitate impressa.

RATIO prima præmissi est Ovid. Quia si projecta moverentur ab aëre, omnia mota eadem velocitate moverentur: Quia causa motus esset eadem, aër, & eodem modo applicata.

RESPONDERI posset, negando causam motus, eodem modo esse applicatam, dicerent enim oppositi, idè in medio, majori velocitate pergere projectum, quia præ commotione facta aeris à projiciente, motæ partes, majori postea nisu promovent alias, consequenter causam motus, non esse eodem modo applicatam.

RATIO secundà ex eodem est: quia si motus projectorum causaretur ab aëre, non esset ratio, cur ad tantam distantiam deficeret, & cælum v. g. non tangeret: eadem enim est vis agentis in fine motus.

RESPONDERI posset, Neg: Sequelam. Quia quò debiliior est motus profectus primò à projiciente, eò facit ut brevius una pars aeris aliam trudit, & secum mobile deferre possit.

RATIO tertià hujus præmissi, petenda erit ex adferendis sequenti puncto.

Cæterum indubiè, aer, & medium juvant ad motum illum. Et quidem juvant partes anteriores aeris, & voluit Phys: 8. Philof: tex: 80. quia utina protrudens aliam, aperit faciliorem viam projecto gravi, juvant etiam partes aeris subsequentes: quia dum hæc ad impediendum vacuum, & replendum illud spatium, quod mobile projectum deserit, accurrunt cum impetu, fit ut

protrudant à tergo mobile projectum: sic. v. g. fit ingen: sphaera projecta, post cujus tergum ponatur pluma, aut aliquid levius, factà projectione trahetur aliquantulum pluma post illud projectum, quod in aliud referri non potest, nisi in succedentes à tergo, partes aeris. Juvant etiam partes laterales, quia & ipsæ commoventur versus partem, quâ procedit impulsus, immo etiam concurrere debent ad tergum lapidis, ut impleant etiam pro sua parte locum aeris, cum violentia sequentis. Et certè si ob exhalationes calidas, in terræ hiatus interceptas, fit terræ motus, si ventus concutit etiam ædificia & turres, cur mobili projecto, aerem ad motum prodesse negabimus? Et sicut in pneumaticis molendinis, tanta rota solo vento circumagitur, cur non conferet in projectione quidquam aer? Et hoc expressè docuit Philosoph: 8. Phys: C. 10. Tex. 82. 3. de cælo C. 2. Tex. 28.

Quod autem dico de impulsu ordine ad motum, quòd scilicet ad eum conferat aer, proportionaliter dici debet, quòd conferat ad retinendum grave, ne deorsum ruat, hocque videntur probare experientia v. g. si in vitro circumagatur aqua, & dextrè orificio terræ obvertatur, nò fluit, pondusque illud aquæ aer sustentat, idem dicendum de nummo itidem rotato in galero, qui etiam non decidit, & quamvis referri hoc principaliter debeat in hoc principium, quia posito illo corpore in æquilibrio, non est ratio, cur ad hanc potius, quàm illam partem vergat, tamen ad hoc confert ipse etiam aer, unde etiam si acicula dextrè ponatur in aqua, ob simile æquilibrium non immergitur, confert tamen ad hoc corpus aquæ, conferet ergo suo modo & corpus aeris. Sed restat quærere, an præter aerem ad ciendum motum in medio, detur aliqua qualitas?

Punctum Difficultatis 2.

An detur qualitas projectis impressa?

DICENDUM est. Probabile est imprimi à projiciente impulsus, qui sit qualitas à projiciente producta, nata producere motum in corpore cui imprimitur, vel si admittas impulsus etiam in spiritibus, de quo in materia de Angelis pro ly in corpore pone in re. Ad id probandum.

PRIMA Experientia est, qua utitur etiam Ovid: flante vento versus orientem, explosus in adversum globus, tanto impetu fertur, ergo latio illa non est in aerem referenda: quia hic adversus est.

RESPONDERI potest, etiam fortissimo vento posito, quia major vis est aeris primo moti à globo excusso, resistere illi ventus non potest, & licet flante maximo vento, impediri non potest,

ne

ne in terrâ motu conclusus aer exeat, sic nec tunc impediri potest.

SECUNDA Experientia est. Quia si lancea projecta alligentur fila, vel plumæ, experientia docet, tam fila, quam plumas rejici post tergum lanceæ, ergo apparet minore violentiâ à tergo propelli corpus projectum ab aere, quam urgeat ventus reflans à fronte: quia si majori violentiâ urgeret, plumas illas reflaret contra imperum venti.

RESPONDERI potest, quod sequela illorum filorum post lanceam projectam, non causetur à vento, contra quem tendit lancea, nam quietissimo etiam aere projecta lancea, fila tamen illum subsequuntur: ergo sequela illa non debet referri in ventum reflantem. Immo admittenda hac qualitate, illa non tantum lanceæ, sed & filis alligatis imprimeretur, cur ergo in adversum non pergunt fila, ut pergit lancea. Ratio ergo hujus sequelæ, in hoc potius principium referri debet, quia ex una parte, motus illis à quocunque tandem movente, tantus conferri non potest, utpote nimium levibus; & ex altera parte est illic motus tractionis, in motu autem tractionis, corpus tractum, sequitur, non antecedit, aerque ipse occurrens filis, aufert illis commoditatem autem cessionis.

TERTIA Experientia: quia trochus circumagitur, cujus rotatio aeri tribui non potest.

RESPONDERI potest negando, quod etiam aer rotari non possit, immo defacto in ventis rotatur confringentibus obtortæ arbores, & sinuantibus in rotundum pulveres. Casu autem, quo aliquis adlabellet trocho, si violentè faciat, incipiet motum; si lentè, juvabit adhuc: quia partes aeris jam motæ trahent secum adlabellatum aerem. Quod autem dicit recentior Suar: etiam in vacuo, rotandum esse lapidem, pro hoc non potest dari experientia, & si daretur rotatio, ea deberet tribui, non nisi immediate conjuncto projicienti.

QUARTA Experientia. Quando currimus, non sentimus impulsus retro ab aere, aliàs ab eo vehementer urgeremur.

RESPONDERI potest, in cursu nostro non esse impulsus, sed lationem meram, solus autem impulsus per aerem salvandus: si autem non est illic impulsus, quid mirum, quod non sentiamus aerem propellentem; & certè dum currimus, nullam nobis qualitatem projicientem imprimimus. Ergo si excursu pro præsentia valet argumentatio, probabit nullam dari impressam qualitatem.

QUINTA Experientia est, quia corpus magis grave, & minus leve, æquè citò descendunt deorsum, quamvis, magis moveatur aer, globo majori.

RESPONDERI potest, antecedens falsum esse, sed posita etiam ejus veritate, nihil evincetur, eò quod dici possit aerem non posse vincere princi-

pium, quod aliàs est causativum æqualis motus, etiam independentè à projectione.

SEXTA Experientia est. Non potest intelligi, quomodo aer vim faciat, projiciatur enim jaculum longissimum, tunc vel urgetur jaculum ab aere, qui est retro; & hoc non: quia aer cum sit corpus liquidum, non habet vim, ut corpori cæteroqui subtilissimo jaculi, imprimat illum motum; non etiam urgetur ab aere, qui est lateralis: quia non à lateribus impellitur jaculum, sed per lineam rectam.

RESPONDERI potest, ex dictis supra, etiam à collateralibus aere, juvari illum motum, modò ille motus, non in solum aerem, sed immediate etiam in projicientem referatur, immediate commoventem aerem, qui secum trahit illud jaculum, quaecunque tandem est; & sicut figura illa non obest virtuti impressæ, ita nec oberit projicienti & aeri.

SEPTIMA Experientia est. Pueri ita scitè projiciunt fragmenta testarum, & lapillos, ut aliquoties subintrent aquam & emergant, quod fieri non potest sine virtute impressa.

RESPONDERI potest, cum rectè projicitur lapillus in aquam, præcipue cum impetu, ebullitio sequitur, cujus ebullitionis non alia est causa, nisi aer aquæ immixtus, qui postea se suo loco restituit; cur ergo in aerem subintrantem & emergentem, & sinuatione suâ iteratò subintrantem, referri id non poteris immò hæc experientia potius ostenderet, non dari ullam qualitatem impressam, vi cujus illa emissio sequatur, nam perinde est illi qualitati impressæ, emergere, vel non emergere, cum tamen naturaliter aer debeat se superponere aquæ, nisi impetu aliò trahatur. Refertur ergo hoc debet in modum factæ projectionis, & in aerem, volentem se restituere suo loco, & dum iteratò immergitur, ex collisione varia, & reflexione id causari, quamvis autem aer, obvolvatur illum lapidem, madefiet tamen lapis, quia aer non est corpus ita densum, quod liquiditati, aquæ, intra poros suos locum non præbeat.

OCTAVA Experientia est: si projecta à solo vento moventur, cur idem globus, maximo vento expositus, non tantà celeritate movetur, quantà movetur projectus?

RESPONDETUR, quia globo, qui solum exponitur vento, deest principium, quod est ipse projiciens, & immediate aerem movens, neque defectus ille motus, debet rejici in vires aeris, vel venti debiles, nullus enim homo tam validè projicit quàm validè subvertit, tempestuosus ventus.

NONA Experientia. Nuclei recentiorum ceraforum, ex compressis digitis, ita impetuosè excutiuntur, quod in aerem referri non potest, nam hic moderatissimus intra digitos comprimitur.

RESPONDETUR. Causari id immediate ab ipsomet comprimente, & ex impetu aeris, licet non magni, impetuosè tamè primo motu, à projiciente.

DECIMA Experientia, Rotæ cum libratione, exiguo etiam corpori inclusa, uno etiam digito, citissime gyrauntur, quod in aerem referri non potest.

RESPONDETUR. Neque etiam referri posse in virtutem impressam, quantilla enim illa, à digito imprimi posset: referendum ergo hoc est, in ipsam libram & structuram.

UNDECIMA Experientia est. Moveatur aqua in phiala, desinat movere movens, reponatur phiala in plano, adhuc movebitur, cujus motus causa referri non potest in ipsum aerem: quia hic modicus est.

RESPONDETUR. Primum motum causarum fuisse ab ipsomet movente, postea alias partes, movent alias partes, sicut ipsum primum movens inceperat, qui motus juvatur ab aere intercepto, qui quamvis modicus sit, adjutus tamen aliis partibus, alias moventibus, motum illum ciere potest.

Hæ, ut vides, experientia, rem quidem probabilem reddunt, sed non ita, ut quiescat intellectus.

RATIO. Pro conclusione adferri potest. Impossibile est transire, à non esse projicientis, ad esse projicientis, sine sufficiente mutatione, quæ alia non erit sufficiens, nisi ipsa qualitas impressa. Si enim esset aliquid quod salvaret, esset ipsemet motus: de hoc ipso quaeritur, te jam aliquantulum à movente distante, quomodo ille motus causari possit, quomodo ipse aer moveri? &c. Et sicut non sufficit dicere, calefactionem fieri ab igne, nisi ponatur intermedius calor, ita & ad motum poni debet intermedia qualitas impressa.

OBJICITUR primum auctoritas Arist. ex 4. Phys. tex. 68. & ex 3. Coeli textu 28.

RESPONDETUR. Illis locis Arist.: partialem virtutem motionis projectorum, referre in medium. Nam. lib. de Cælo tex. 28. dicit Philosoph. projecto imprimi potentiam, & 8. Phys. tex. 92. contra Platonem, qui motum hunc, in aerem referebat, innuit de hac qualitate hic in Comment: S. Thom: stat etiam pro hac qualitate Q. 2. de potentia ar. 6.

OBJICITUR secundò. Motus tractionis, non fit per qualitatem superadditam. Ergo nec motus projectionis.

RESPONDETUR. Disparitatem esse: quia tractio est tam diu, quam diu trahens, trahit actu, non ergo debet aliqua illi tribui instrumentaria virtus, quæ agat: cum autem fiat projectio, cessante ab actu projectionis, projiciente, hinc danda est illi virtus instrumentaria.

OBJICITUR tertio. Non esse explicabilem hanc virtutem, adeoque non admittendam.

RESPONDETUR. Multa admitti, ad quæ ratio cogit, quamvis nos eorum peptissima cognitio lateat, ut huic objectioni satisfiat. Sit

Notantur quedam de hac qualitate.

NOTO primò. Quod impulsus, necessario quidem, sed impedibiliter producat motum, ad eum modum, quo gravitas, necessario quidem, sed tamen impedibiliter, causat motum deorsum, unde experimur, si rota sistatur brevissime, lenissime & postea dimittatur, rotabitur.

NOTO secundò: Qualitatem hanc esse ex genere suo accidens, potest enim adesse & abesse, habereque se per modum potentia, sed extrinsece superaddita, principiat enim motum, & non est ratio formalis motus, eritque eadem specie si vè in hanc, si vè in illam partem producat motum, nata enim est principiare motum, modò sit indubitus mobili, & sicut idem per adversarios, specie aer, principiat tam diversos motus, ita eadem specie qualitas, principiat eosdem, ita ut eadem qualitas, quæ servit ad motum sursum, potuerit servire ad motum deorsum. Est tamen ista virtus, distincta specie, à potentiis naturalibus, quia non est determinata ad eundem motum, sicut gravitas, semper est determinata ad motum deorsum. Puto tamen illam produci successive, ut sonum, qui quamvis non habeat contrarium, successive tamen producit, quia produci instantaneè, est produci perfecto modo, qui modus rebus materialibus non debet tribui, nisi Experientia, vel Ratio doceat.

NOTO tertio. Causam subjectivam istius qualitatis, esse mobile, & quamvis ista virtus materialis sit, permeare totum subiectum potest, ad eum modum, quo lux, corpus diaphanum, virtus magnetica ferrum. Cæterum si partes aliquæ, magis sint capaces qualitatis illius, fieri potest, ut illis magis imprimatur, ut sic solidis calamipartibus, magis imprimatur hæc virtus, unde etiam, in motu obvertuntur, ut solidis partibus prius eant.

NOTO quarto, Quare motus projectorum in medio, sit velocior, quam in principio: & fine, cum tamen motus naturalis, sit in fine velocior. Tota res ad experientias est devoluta. Arriaga censet gravia & levia, cæteris partibus, æquè citò moveri: idque sibi probatum esse: Non defunt impressi, qui oppositum sibi probatum afferunt, licet id non possit discerni in parvis distantis, quidquid de experientia; illud quod addit Arriaga, scilicet ab altiori motum, falsum esse, quod majorem imprimat impetum, eò, quod lapis de propinquo motus, magis lædat, quam pilula de longinquo, id in quâ nihil probat, nam ista sunt accipienda cæteris paribus, si scilicet æqualem gravitatem habeant, & sic idem lapis, ex altiori loco descendens, magis læderet, quam de propinquo.

Circa

Circa theſim propoſitam ſit hæc interim ratio: Quia in motu naturali, eadem virtus manet, invariata à principio, quæ in fine, jam ergo ex parte virtutis, nulla eſt diminutio, ex altera parte, minus habet de reſiſtentia aeris, & plus à tergo propellentis aeris; & licet aer, ſit in loco ſuo naturali, nihilominus propter turbationem in illo factam, & periculum vacui, & quia, una pars protrudit aliam, ideò magis cietur ille motus. Jam autem, quia in motu projectorum ab initio, non eſt factus tantus aeris impuſus, qui ſit, dum una pars aeris, aliam propellit, ideò ab initio, non eſt tanta velocitas motus. In fine etiam, projecta non ita citò moventur, quia virtus, & qualitas illa impreſſa, in fine enervata ſupponitur, & variata. In medio autem, cum adhuc vigeat, & ſufficientem ab aere habeat impuſum, ideò in medio velociſſimus eſt.

Dici etiam fortaliſſi poſſet. Omnem motum, cæteris paribus, motu ipſo facilitari, quia ipſe proceſſus, motivam juvat. Sic v. g. equi ad agonem currentes, ſub initium, non ita citò currunt, atq; in proceſſu ulteriori: Pondus etiam difficilius trahitur ab initio, quàm ſemel motum, unde etiam ad multiplicationem, ut ita dicam, ejusdem motus, faciendam, inventæ ſunt rotæ, quæ quò plures ſunt, plurificamur, magis eundem facilitant: hinc & celeritas illa, ſequitur naturam illorum motuum, unde magis in medio, multiplicatis ſcilicet jam motibus, quàm ſub initium movet; ſed quia hæc virtus langueſcit ſub finem, hinc ſub finem, non eſt ita velocis. In motu autem naturali, quia manet idem principium invariatum, motu facto, qui ſub finem plurificatus eſt, juvatur ad celeritatem, non quòd illa non exiſtentia motuum inſuat in celeritatem, tanquam aliquod principium, ſed reddit potentiam habiliorem, ad ſe exercendum, non quidem per aliquam qualitatem relictam, & habentem ſe, per modum habitus, hic enim, talibus principiis non conceditur, ſed per modum diſpoſitionis cujuſdam, & prærequiſiti, præſuppoſitiq; hoc ipſum à poſteriori, ipſa experientiâ monſtrante.

Noto quintò. Quæ ſit cauſa corruptionis impuſus.

Reſpondet Vaſquez, & cauſam illam refert, in productionem impuſus contrarii, & ita, cum ſurſum attollitur lapis, producit in ſe impuſum, deorſum, cui doctrinæ adjungit aliud, quòd terra ſit in æquilibrio, ſitq; ut ad omnem impuſum, contremiſcat & moveatur, ad eum modum, quo in æqua balance, quæ quidquid uni parti addideris, jam facit illam attolli, & aliam deprimi.

Multis, impugnant hoc adjunctū Recentiores, quamvis illud placeat multis Mathematicis. Cæterum, quòd terra ad additum uni parti pondus, non magis pro hac parte inclinet, Ratio eſt. Quia inclinaret ultra centrum, & quia pro-

ceſſus ultra centrum, eſt aſcenſus, aſcenſum illud, nullum ſuperadditum pondus cauſare poteſt. Aliud eſt, de balance, quia ſi uni parti, aliquid addideris, pars depreſſa eſt talis, ut illi ſit connaturale deſcendere deorſum, eò quòd non ſit in centro. Quòd autem corruptionem impuſus, refert Vaſq; in productionem impuſus contrarii, id univerſaliter, non convincit, poteſt enim eſſe impuſus gravis deorſum, qui elangueſcat, & tamen non producat in ſe, impuſum contrarium, cum ſecundum conditionem illius, ſit, trudere deorſum. *Hinc aliter*

Reſpondetur. Interdum qualitatem impreſſam corrumpi, ſolà obſiſtentia oppoſiti, ut dum rem projectam manu fortiter arripimus ne procedat, aut dum obſectus paries, reſiſtentiam facit, aut dum medium enervat virtutem illam. Interdum corrumpi poteſt, per gravitatem naturalem, incipientem ſuperare vires qualitatis impreſſæ. Denique corrumpi poteſt, quòd de ſe ſit talis qualitas, quæ tantum, vel tantum, petat durare, Deusq; illam, ſecundum hanc nonniſi ejus conditionem, gradualemq; intentionem tenetur conſervare, hocq; contingit, dum v. g. per rectam tabulam, procedens globus deſinit moveri. Illuſtrari hoc ſolet inſtantiâ de ſono, qui, licet, non habeat contrarium, ſuapte naturâ deſinit: Et ita v. g. dum lapis ſurſum aſcendit, ſi impediatur Deus illius gravitatem deorſum depoſcentem, adhuc illa qualitas corrumpetur, non ob gravitatem, hæc enim ſupponitur impedita, ſuapte ergò ſponte deſinet.

Dices primò ex Ovied: Quòd gravitas naturalis, nullo modo, ſit cauſa corruptiva illius qualitatis: quia gravitas in corpore conducet, ut in illo producat impuſus. Ergo non poteſt corrumpere illum, quia nulla forma, conducere poteſt, ad id, cujus eſt cauſa corruptiva.

Reſpondetur. Hanc rationem multum probare, probaret enim gravitatem non conducere ad motum ſurſum, quia interdum contrariatur motui; ſi enim ſit magnus lapis, projici non poteſt, & tamen experientiâ conſtat, lapidem mediocriter gravitatem, aliùs projici, quàm plumam. Directè autem, dici poteſt, quòd ea, quæ ſe paſſivè ad aliquid habent, per modum diſpoſitionis, nunc verò, per modum cauſæ, poſſint diverſis effectibus ſervire, licet cauſa, in quantum aliquid per ſe cauſat, oppoſitum cauſare non poſſit: & ita motum ſurſum non cauſat per ſe gravitas, ſed per ſe, tantum motum deorſum, per accidens autem, diſponere conducereq; poteſt, ad motum ſurſum, & ita v. g. frigus per ſe nonniſi frigefacit, & tamen per antiperiſtaſim, conducit ad calefaciendum. Quare autem, cauſa non poſſit producere, contrarios effectus per ſe, hoc experientiâ probat, depoſcit naturæ ordo, & determinatio motus naturalis, qui ſemper eſt ad unum.

Dices ſecundò ex eodem: Nunquam gra-

344
 dus, etiam remissus frigoris, potest conducere positivè, ut introducatur, gradus valdè remissus caloris: quia scilicet frigus, non potest esse principium duorum oppositorum, ergo neque illa gravitas potest deservire, tam ad receptionem qualitatis impressæ, quam ad corruptionem ejusdem.

RESPONDETUR. Etiam gradus unus remissus frigoris, conducit in Antiperistasi, cum aliis, ad intensionem caloris, totumque frigus, idque ideò; quia hoc facit per accidens, nec per se producit calorem. ita etiam, & gravitas illa per se non producit motum sursum.

DICES tertio. Si gravitas esset contraria illi qualitati, diminueret de illa, cum primum imprimatur.

RESPONDETUR. Gravitatem, cum non sit qualitas per se activa, & principiativa, præterquam motus deorsum, & eorum, quæ illi debentur, non potest se expedire ad diminuendam qualitatem impressam, si valdè intensâ imprimatur, secus si debilis, & illius non superativa.

DIFFICULTAS III.

De motu reflexo.

NON solum motum violentum, qui causatur à qualitate impressa, sed etiam motum naturalem, reflectit interdum corpus obfistens, unde reflexio utriusque huic motui communis est, licet reflexio ipsa non perficiatur motu, qui non habeat aliquid mistum de violento, non semper tamen est absolute violentus; quia si tabulatum superius, obfistat motui lapidis, sursum projecti, non erit decidenti deorsum lapidi, motus violentus simpliciter, licet admistum habeat sub initium, aliquid saltem violentiæ. Porro de reflexione, in hoc difficultas est: Motus reflexus à quoniam causetur, an à corpore reflectente, an ab illo, qui primò projicit corpus, postea reflexum?

DICENDUM est: *Motum resiliencie quemcunque causari à corpore reflectente, licet pro conditione requiratur interdum motum projicientis*, dixi interdum, quia si pila aliqua, ponatur supra filam, quæ proprio pondere prærumpere possit, illa pila resiliet à pavimento, tamen illic nullum reperietur projiciens.

PROBAT primò Ovied: Quòd motus resiliencie, non causetur à projiciente; consequenter quòd à corpore reflectente. Impulsus projicientis nullam habet virtutem, ad movendum projectum, in partem oppositam, quod probat: quia si hanc virtutem haberet, etiam causaretur resiliencia, quando impediretur corpore molli, quod est contra experientiam.

RESPONDERI posset, quòd projiciens, habeat hanc vim, non quomodo cumque acceptus, sed ha-

bens circumstantiam corporis obfistentis; & sic ut potentia motiva, habet vim producendi motus localis, quantumvis sine loco, illum exercere non possit, sic projiciens, quamvis habeat vim causandi motum resiliencie, tamen nisi habeat corpus, ad quod allidat, facere id non poterit: projiciens item vitrum, habet vim concutiendi illud, quamvis projiciens in plumas, concutere non possit.

PROBAT secundò alii. Manente eodem principio, adhuc secundum diversitatem corporis obfistentis, magis vel minus, fiet resiliencia, nullaque erit, si nullum sit corpus obfistens, ergo id referri debet in ipsum obfistens.

RESPONDETUR hoc argumento, id solum evinci; quòd independentè, à circumstantia corporis obfistentis, non possit uti, illa suâ virtute, projiciens. *Antequam probetur Conclusio,*

SUPPONO. Quòd corpus reflexum ab eo, quod est causa motus reflexi, (quæcumque tandem illa causa statuatur) debeat accipere virtutem aliquam, ut resiliat, quam tamen virtutem, antea non habuerit.

RATIO: Tum quia, si projectio imprimit virtutem, cur non imprimeret resiliencia? & quidem virtutem permanentem, quia sicut remotum à projiciente corpus adhuc movetur, ita resiliens, adhuc movetur. Tum quia, quando vehemens ventus, rapit aliquid, una secum illud deportando, ita ut moveatur ad motum ipsum met, tempestuosi venti; nulla tunc datur virtus impressa: cum sit conjunctum semper principium motivum, moto; & tamen illud ipsum, impactum corpori obfistenti, resiliet; Ergo, debet habere novam virtutem motivam. Tum quia, non raro corpus resiliens, longius procedit, quam processisset, si motu directo perrexisset, ergo apparet, imprimi novam virtutem. *Hoc supposito*

PROBATUR tertio conclusio. Illud est causa motus resiliencie, quod est causa virtutis illius noviter impressæ; sed causa virtutis noviter impressæ, est ipsum corpus obfistens. Ergo. Major probatur istis, quæ adlata in supposito. Minor autem probatur: quia primò projiciens, nihil tunc agit, potestque jam non existere.

CONFIRMATUR hoc ipsum. Quia si resiliencia proveniret à projiciente, tunc allisa ad plumas pila, resiliere deberet, nam ex una parte, non potest ulterius procedere, sicut non posset ulterius procedere, allisa lapidi, & ex altera parte, impulsus, per adversarios est causa motus reflexi; quæ adhuc causa manet, poteritque pilam longius promovere, ergo si non promovet, deest aliqua causa, nempe additio novæ virtutis, à reflectente.

Quòd autem, pro conditione respiciat ipsum projiciens.

RATIO, quia nisi accedat, motus projectionis,

nis, ad corpus obfistens, non fiet reflexio, Ergo respicit projectionem illa reflexio, sed non tanquam causam reflexionis, ut dictum, ergo tanquam conditionem.

Obicitur primò: Non est ratio, cur potius ipsum corpus obfistens, non sit potius conditio, quam ipse motus projicientis.

RESPONDETUR. Esse potius rationem, quia datur illi qualitas nova, quæ pro principio, debet aliquid importare, sed non importat projicientem, ob dictam rationem, ergo importabit corpus obfistens.

Obicitur secundò. Impulsus, erat sufficiens ad protrudendum longius pilam, & adhuc persistit in illa pila, cur ergo reflexionem, non operabitur?

RESPONDETUR, quòd qualitas illa, post impactionem, non persistat, sed violenter in puncto reflexionis exstinguitur, eo planè modo, ac si manu arreptà, pila currens susteretur, nisi, quòd manus arripiens: non imprimat postea resiliantiam.

Obicitur tertio. Reflexio lucis per speculum, non causatur à speculo, ergo nec resiliencia, à corpore obfistente.

RESPONDETUR. Disparitatem esse, quia lucem nihil causare potest, nisi luminosum jam autem motum, quòdcumq; corpus proportionatum.

Obicitur quarto. Si motus resiliencia, causaretur ab obfistente, semper causaretur.

RESPONDETUR. Non semper causari, quia sæpè deest conditio, v. g. ad latius impetuosa corporis resilituri, gravitas corporis impacti, superans vires obfistens, ceteroqui impressuri virtutem reflectibili, si non fuisset tam ponderosum.

INSTAB: Quòd impulsus est fortior, eò resiliencia est fortior. Ergo apparet, illam causari ab illo impulsu.

RESPONDETUR. Etiam corpus quod est durius, ordinariè loquendo, eo magis resilit ab illo projectum, cur ergo, vi ejusdem medii termini, non causabitur à corpore obfistente? est autem fortior impulsus, conditio resiliencia fortioris, quia experimentum docet, quòd duritia, non melius quam impetu probetur, & quia resiliencia illa, est quasi experimentum duritiei, & modus, quo se illa exhibet, ideo requirit fortior resiliencia, fortiolem impetum, unde virtus ista repulsiva, ita se habet, sicut exercitus ordinatus, in quo plures hostes, si ingruunt, eò plures expediuntur milites.

Obicitur quintò. Paries non se movet, ergo non imprimit impulsu.

RESPONDETUR. Ad impulsu propulsionis, esse necessarium motum propellentis, ut patet, dum manum reducimus lapidem projecturi, sed hoc non est necessarium, ad motum resiliencia. Quòd autem, non sit necessarius motus, ut qualitas impressa producatur, ratio negativa

potest dari, quia scilicet, nec ratio, nec experientia, id evincit, quæ stat pro aliis, quæ motum requirunt.

Restat quærere, An mobile projectum, in puncto reflexionis quiescat?

Triplex potest accidere reflexio, PRIMò dum suapte naturà deficit impulsus, sursum elevativus, & cum incipit grave, reflectere se deorsum. SECUNDò dum occurrit corpus, magis grave, deorsum descendens. TERTIO, alliditur corpori obfistenti, v. g. pila parieti, Circa quæ

ASSERO primò. In reflexione primi generis, intervenire semper quietem.

RATIO: quia devenire est, ut sicut gravitas est v. g. ut 4. deprimens deorsum, ita etiam sit virtus elevativa ut 4. attollens sursum, quo casu, nulla pars aget, quia victoria semper est ab excessu; adeoque nec huc, nec illuc movebitur, consequenter, quiescet, idemq; etiam contineret in vacuo, quia etiam in vacuo, dari posset æqualitas illarum virtutum.

ASSERO secundò. In casu secundò non dari ullam quietem.

RATIO: Tum quia, quies hæc, ut dixi, infundatur æqualitati, jam autem extemplo, gravius superveniens, vincit vim sursum elevativam. Tum quia, si quiesceret illa pila, quiesceret etiam imminens illi pondus, est enim illa pila, medium corpus inter centrum gravitatis, & inter grave descendens. Motus autem remotioris, non datur, non moto intermedio, alias tunc fieret penetratio. Quòd si quiescit, quæ causa illius quietis, non gravitas descendens, quia hoc appetit deorsum, non vires pilæ, quia hæc exiles, ergo nulla illic causa quietis. Et quamvis motus reflexus, & modus directus, sint motus contrarii, adhuc tamen continuari poterunt, quoad tempus, quamvis continuari, quoad aliquam non possint, sicut continuatur motus mortui animalis, cum motu viventis, dum ex turri v. g. decidens moritur, punctumq; illud reflexionis, diverso respectu erit, & finis, & principium, incipietq; tunc moveri deorsum, cum sifset motum sursum.

ASSERO tertio. In casu tertio, dari quietem, sed sub distinctione, si virtus impressa à corpore reflectente, superet impressam, à projiciente, non dabitur quies.

RATIO: quies est negatio motus, non datur autem in illo casu, negatio motus, quod ipsum probatur, post impactam qualitatem impulsivam: non datur quies. Ergo nec post impressam qualitatem reflectentem, id quæ ex eo, quia sicut impulsiva, excedit gravitatem impulsu, ideoque movet, ita reflectens qualitas, excedit & gravitatem & qualitatem, in oppositum moventem. Cæterum si sit virtus æqualis impulsiva, & reflexiva, accedente gravitate movente deorsu, dabitur punctum quietis. Ratio, quia neutra pars

exce-

excedit, nec inde sequetur, motum illum fuisse in instanti, quia sicut corpus illud, per partes recedit, nec habet vim, nisi determinatæ celeritatis principiandæ, ita, & per partes succedit aer.

QUÆSTIO III.

De inceptione, & desitione motus.

HÆc quæstio, ad multas materias Theologicas, & Philosophicas, intellectu est necessaria, quod tamen difficillimum erit, deducetur per motum Corollarii, ex materia, de quantitate.

DIFFICULTAS I.

Premittuntur quædam.

PRÆMITTO primò. *Eaque hic dicuntur, de Inceptione & desitione motus, proportionaliter applicanda sunt, de ipsis terminis motus.* Et quia, termini motus, interdum sunt res permanentes, interdum successivæ, hinc & motus, alii sunt permanentes, alii successivi. Rursus, ex permanentibus, alii sunt termini indivisibiles, & quoad se, & quoad modum incipiendi, & desinendi, quomodo incipiunt & desinunt, anima, Angelus, actus intellectus; alii verò sunt divisibiles quidem quoad se, tamen indivisibiliter incipiunt, ut visio, phantasma materiale, &c. Jam verò, quod attinet ad terminos motus successivi; isti interdum sunt successivi per se, tam quoad modum incipiendi, quam quoad suam entitatem, quale est tempus, motus localis, alii successivi, quoad modum incipiendi, idque per accidens, eò quod toti simul, incipere potuerint, ita v. g. dum intenditur gratia, motus ille, quemadmodum, est successivus, quia, tota simul intentio gratiæ produci potuit, & de his omnibus, in præfenti dicendum.

PRÆMITTO secundò: *In hac Materia attendendum est, tam quoad formas substantiales, quam quoad accidentales, impossibiles, sive quoad se, ut est, odium, & amor, sive impossibiles, quoad intensionem, qualis est oppositio, inter summum calorem, & frigus; attendendum inquam est primò, ut talis, ipsis, modus incipiendi, & desinendi tribuatur, vi cuius, non sequatur, duas esse formas in subiecto simul, sive sint illæ substantiales, sive impossibiles accidentales. Secundò attendendum est, ne ex modo incipiendi, & desinendi, sequatur esse aliquod instans, quo materia, sit sine ulla forma substantiali.*

PRÆMITTO tertio. *Modos istos incipiendi, vel desinendi, dividi in intrinsecos, & extrinsecos. Intrinseci modi, sive desinendi, sive incipiendi, important semper esse: Modi autem desinendi & incipiendi extrinseci, semper important non esse, pro tunc, cum incipiunt, vel desinunt. Dicuntur autem modi desinendi per esse, pro tunc, dicuntur inquam, modi intrinseci, quia i-*

psum esse, illis ipsis instantibus intrinsecatur, & est, esse illorum terminorum, tunc, cum est esse ipsarum interceptionum & desitionum, sicut è contra, modi incipiendi & desinendi, qui sunt per non esse, pro tunc dicuntur extrinseci, quia illis, non intrinsecatur esse.

PRÆMITTO quartò: *Quando aliquid, incipit intrinsecè, vera est de illo, hæc propositio: Nunc est tempore antecedenti, non erat, ubi esse formæ, & esse illius instantis principiati, secum intrinsecantur, quando autem aliquid desinit intrinsecè, verum est de illo dicere: Ultimò est, tempore sequenti non erit, ubi desitio, adhuc intrinsecatur, cum esse. Quando autem aliquid incipit extrinsecè, verum est de illo dicere: Nunc ultimum non est, immediatè post erit, ubi inceptio non habet intrinsecatum sibi esse, sed sequelam tantum, esse immediatè futuri importati, etiam desinat extrinsecè, verum est de illo dicere: Primò non est, immediatè antè fuit: diciturque hic modus, existendi extrinsecè, quia non involvit esse.*

PRÆMITTO quinto. *Præter hos modos incipiendi, & desinendi, comminisci aliquos, modum incipiendi, & desinendi, in tempore indeterminato, quod licet indeterminatum sit, antecedit tamen certum aliquod, v. g. ultimum durationis instans, & ita dicunt. Si Deus formaret tale præceptum, fac amoris actum, ante ultimum instans tuæ vitæ, non servando illud præceptum, peccaret mortaliter homo, & tamen desitio gratiæ, & inceptio peccati, in nullo sit tempore determinato, quia quodcunque determinatum tempus, cum sit divisibile, non importat obligationem, si enim divisibile est, nondum est immediatum, ante ultimum instans vitæ, præceptum autem erat, de eliciendo actu in tempore, immediatè antecedente instans mortis, quia aliàs daretur instans, ante instans. Ergò, peccabit in tempore indeterminato, nihil enim aliud excogitari potest.*

RESPONDET primò Konin: *Quòd sit peccaturus, ante instans, inter quod, & inter ultimum instans vitæ, intercedit tempus, sed ita breve, ut in illo, moraliter loquendo, non possit impleri præceptum, ad quod humano modo explendum, requiritur tempus majus.*

NON SATISFACIT hæc responsio. Nam demus, Angelo impositum hoc præceptum, quando ille Angelus peccabit? non peccabit in instanti, antecedente ultimum instans vitæ, aliàs dabitur instans, ante instans, non in instanti, post quod intercedit tempus, quia adhuc illo tempore, posset Angelus implere præceptum, non in certa aliqua parte temporis, quia post illam certam partem, adhuc est aliquid temporis, ergo illo adhuc impleri præceptum potest. Quando ergo ille Angelus peccabit?

RESPONDET secundò Lugo, disp. 4. de Sacram. Sect. 6. *Illud præceptum non posse dari, quia præceptum*

ceptum importat obligationem, obligatio ligationem subditi, ad aliquid, quod nisi faciat, peccet, hæc ligatio subditi, importat redactionem ad talem statum, in quo citra peccatum, aliud facere non possit, tunc autem, inquit, ideo non ita se haberet, quia in quolibet instanti, vel in qualibet parte temporis, posset adhuc differre, si vellet, ergo nunquam obligaretur.

NON SATISFACIT hæc responsio, in principiis, tenentium, componi tempus ex indivisibilibus, quia datur instans, immediate antecedens instans vitæ. Non satisfacit etiam in principiis tenentium componi tempus, ex partibus infinitum divisibilibus, quia datur saltem instans ultimum vitæ, cur ergo tunc non obligabit hoc præceptum.

RESPONDETUR tertio: Peccatum illud hominem, in tempore indeterminato. *Hæc Responsio*

NON SATISFACIT. Tum quia nullæ dantur istæ partes indeterminatæ, ut dictum supra. Tum quia, datis partibus, ipsis indeterminatis, non salvabitur difficultas adlata: quia etiam illa pars incerta, & indeterminata; quæ tu, dicis incipere peccatum, & desinere gratiam, adhuc est divisibilis, adeoque poterit posterius, committi peccatum, & desinere gratia. Tum quia, hæc responsio, præjudicat scientiæ Dei, quia, ex illa sequitur, Deum nescire, quando aliquid primo fiat, quia nescit, quando primo subtrahit concursus conservativum gratiæ, subtrahit enim illum, ut tu dicis, in tempore incerto.

Irresolvatur tota doctrina præmissi quarti.

ASSERO primo: *Non dari ullam inceptionem, & definitionem, in tempore indeterminato.*

RATIO, quia nullæ dantur, partes temporis indeterminatæ.

ASSERO secundo: *Possit Deum, hoc imprimis modo, prædictum præceptum ferre, volo, ut instanti, immediate antecedenti, elicias actum, tuncque antecedenti instanti, ipsum instans mortis, peccabitur.*

RATIO, quia, si hoc non posset fieri, ideo non posset fieri, quia sequeretur, instans post instans, hoc non tenere, alibi dicta, suadent.

ASSERO tertio: *Possit Deum, hoc alio modo, prædictum præceptum formare, volo, ut in tempore immediate antecedenti, instans mortis, elicias actum, & tunc, ille actus, obligabit, in minimo Physico temporis: quod, si dividas, non erit jam tempus, & est immediatum instanti mortis, quia, post hoc minimum Physicum temporis, non est dare quidquam temporis.*

Et quia decidenda sunt inceptions, & definitiones, conformiter ad hanc doctrinam, ut illa in compendio representetur.

TENERI posset: Tempus Mathematicè acceptum, componi ex indivisibilibus, ita tamen, ut tempus acceptum sic, non sit nemine cogitante, sub formalitate Mathematici; sed tan-

tum objectivè, & fundamentaliter, in quantum, rerum duratio, fundat veritatem, hujus propositionis: Nunc est. Quod si, illud tempus non est, nemine cogitante, nec compositio illius, erit nemine cogitante. Tempus autem, Philosophicè acceptum, componitur ex minimis Physicis, quæ si dividas, jam non poterunt habere rationem prioris, & posterioris, adeoque nec quantitatem sibi debitam, & hoc tempus, est nemine cogitante, ita, ut in illo, his, quæ fiunt in instanti, nihil omnino proportionatum, respondeat. Ut alia hujus materiæ pernoscantur. *Sic*

DIFFICULTAS II.

Quid tenendum?

IN communi sententia; circa inceptionem rerum permanentium hæc est.

PRIMA DIFFICULTAS. Non possunt incipere intrinsecè, & desinere extrinsecè, formæ substantiales, eodem instanti, quia secundum explicationem horum terminorum, verum esset dicere, de forma desinenti, Nunc ultimò est; & de forma incipienti, Nunc primò est: hoc autem dici non potest, quia aliàs eodem instanti, duæ formæ substantiales, eandem materiam informarent. Quod ipsum probatur, quia erit adhuc illa forma, de qua verum est dicere; Nunc ultimò est, quia si pro illo instanti, non esset, falsa esset propositio, ultimò est, quia difformis objecto, affirmando scilicet esse, quod non est. Ex altera parte, esset etiam illa forma, de qua verum est dicere; Nunc primò est, quia si illa forma, non esset, illa propositio vera non esset, utpote difformis objecto. Non possunt etiam formæ substantiales, in uno instanti intrinsecè incipere, & desinere, in alio sequenti, quia jam dabitur contra principia communis sententiæ, instans post instans, Non possunt etiam formæ substantiales, desinere ita, ut inter inceptionem, aliàs formæ substantialis, intercedat tempus, quia aliàs illo intercedente tempore, daretur materia, spoliata omni formâ substantiali.

SECUNDA DIFFICULTAS est, in communi sententia, quod scilicet, non possint formæ substantiales (idemq; judicium, de impossibilibus) incipere intrinsecè, & desinere extrinsecè.

RATIO. Illo instanti, quo verum est dicere: Nunc primò forma est, verumne est dicere, ultimò non est forma præcedens, vel certè, verum id fuit, in antecedenti instanti, vel in tempore interjecto. Non primum, quia si in eodem instanti, in quo, verum est dicere: Nunc primum incipit forma, verum etiam est dicere: Nunc ultimò non est forma, quaro, an duobus illis instantibus inceptions, & definitionis, convenientibus in unum, respondeat aliquid proportionatum, in tempore successivo, vel non responderet: si in tempore, non responderet quidquam proportiona-

tionatum, Ergo etiam si duo instantia, immediate, penes se ponantur, nihil proportionatum respondet, consequenter, nec sequetur, componi tempus ex indivisibilibus. Quod si, responderet aliquid proportionatum, ergo & in tempore, & in quantitate permanenti, darentur aliqua indivisibilia, realia & physica, contra, quam censeant ordinariè, talia docentes. Rursus, in tempore, quod respondet, non potest esse, nisi tempus, quia in tempore, nihil aliud est, nisi tempus, sicut in aqua, nihil respondet, quod non sit aqua. Si autem responderet tempus, ergo responderet prius & posterius, & tamen non habenti, idq; essentialiter, prius & posterius, non potest respondere, quod est prius & posterius. Forma autem substantialis spiritualis, nec in inceptione, nec in desitione informativa, habet prius & posterius. Non potest etiam dici secundum, quia sequeretur instans, post instans, quod communis sententia non admittit. Non tertium. Quia, si in tempore interjecto, verum est dicere, Ultimum non est, quomodo ultimum non est, si per tempus illud *primum* trahitur, nec habet indivisibilem rationem ultimi. Quæ autem dicta sunt, si dicatur incipere intrinsecè, & desinere extrinsecè, commutatà proportionem, dici possunt, si dicatur, desinere intrinsecè, incipere extrinsecè.

TERTIA DIFFICULTAS est, Istud primum esse, vel primum non esse; item ultimum esse, vel ultimum non esse, vel verificatur, de ipsis terminis motus, vel etiam, de ipso tempore extrinsecò. Ergo si dicatur, primum esse, & ultimum non esse, vel ultimum esse, & primum non esse, &c. sequi post se immediate, non sequetur componi tempus ex instantibus, siquidem istud primum & ultimum, non spectat ad tempus, nec illud importat: si autem verificatur, de ipso tempore extrinsecò, ergo in tempore, datur aliquid primum. Ergo, non est compositum tempus, ex prioribus, & prioribus in infinitum, quæram enim illud primum, estne divisibile: si indivisibile, ergo componitur tempus, ex indivisibilibus; si divisibile, ergo habet prius se, adeoque non est primum de illo ipso priori, quærere restat: an sit divisibile, an indivisibile, redibitq; argumentum factum: His circa communem sententiam pensatis.

DICENDUM est: *Formas substantiales, & in-compossibiles accidentales, vel secundum se, vel secundum gradum, incipere intrinsecè, & desinere extrinsecè, ita, ut uno, eodemq; instanti inceptions, verum sit dicere: Nunc primum forma est, & de præcedenti; Nunc primum non est. Quod incipiant intrinsecè, Ratio est, quia cum sint indivisibiles, verum est de illis, nunc primum sunt. Rursus, quia sunt causa desitionis aliis formæ, debent esse, adeoque non debent incipere extrinsecè. Et quia se invicem, pati non possunt, non*

per se ultimum, sed per primum non esse desinent. Quamvis autem, physicè loquendo, simul id fiat, tamen non in eodem instanti naturæ; quia prius est inductio formæ novæ, quam expulsio veteris.

Quod autem attinet ad formas accidentales, quæ successivè inducuntur, propter resistentiam contrarii, quomodo inducitur calor, vel quæ successivè, per motum localem propagantur. Tunc si horum inceptio in determinata parte subiecti accipiat, & pro minimo sui Physico, incipiet etiam intrinsecè, & desinet extrinsecè, cur non enim? par erit illarum ratio, cum aliis formis, licet, si sumantur respectu totius illius, quod paulatim disponitur, non sit verum dicere: Nunc primum, est, quia supponitur fuisse in antecedentibus partibus.

Rursus in communi sententia, circa inceptionem, & desitionem rerum, per se successivarum, quale est tempus, motus localis continuus, hoc ordinariè docetur, nempe quod incipiant extrinsecè, seu per ultimum non esse, & quod desinant extrinsecè, per primum non esse.

In communi sententia circa, inceptionem & desitionem rerum successivarum.

PRIMA DIFFICULTAS est, quam urget Ariag: De quo verum est dicere: quod incipiat extrinsecè, verum est dicere; Nunc ultimum non est, de quo autem, verum est dicere: Nunc ultimum non est, de eo verum est dicere, Immediate post, Nunc erit, aliàs falsum esset, quod ultimum non sit. De quo autem, verum est dicere, immediate post; Nunc erit, de eo etiam, verum est dicere, Nunc est, nam omnis propositio ex Aristotele, quæ est vera de præterito, aut futuro, vera etiam erit de præsentī, ut sit propositio de inesse.

SECUNDA DIFFICULTAS est. Quia fundamentum, quod assumit communis sententia, non convincit, habet autem ita. Quia, quod successivum ens incipiat extrinsecè, & desinat extrinsecè, hoc inde est, quia nullum assignari potest instans determinatum, in quo, ita primum vel ultimum sit tempus, ut non prius & prius fuerit, nec est assignabile, instans determinatum, in quo ultimum sit propter easdem partes proportionales. Hæc autem ratio, non convincit, quia multum probat, nam probaret res successivas, nec extrinsecè incipere aut desinere, idq; ex eo, de successivis per se, v.g. de motu, non potest verificari, primum non est, vel ultimum non est, quia quando verum est dicere, ultimum non est, vel inter positionem actualem illius objecti, quod ultimum non est, vel inquam, intercedit immediate tempus divisibile, vel immediate intercedit instans; Si intercedit instans, Ergo dabitur instans, post instans, si intercedit tempus divisibile, ergo falsum fuit dicere, ultimum non est, quia post istud ultimum, est aliud ultimum, correspondens

Idem Medius terminus sic aliter proponitur. Non potest v. g. tempus incipere intrinsecè, ergo nec potest desinere extrinsecè. Probatur consequens: idem non potest tempus incipere intrinsecè, quia non potest de tempore verificari, primò est: sed neque potest verificari, primò non est, quod ipsum probatur: ob multiplicatam partium, quæ sunt in continuo, non potest verificari, quod primò sit, ergo neque propter multiplicatam partium, quæ deficiunt, potest verificari, primò non sunt. Probatur consequentia, iis partibus, & taliter sumptis, applicatur *non est*, quibus partibus, & qualiter sumptis, applicatur *est*, sed propter partium proportionalium infinitatem, non potest applicari *primò esse*; ergo nec applicari poterit *primò non esse*.

TERTIA DIFFICULTAS est: Inceptio, & definitio, debet esse talis & per talia instantia explicari, ut quod incipit, impossibile sit non incipere, & quod definit, impossibile sit, non desinere, alias idem inciperet, & non inciperet, desineret & non desineret; sed si aliqua successiva, inciperent extrinsecè, possibile esset, illa non incipere, quod probatur; quia, de quo verum est dicere, Ultimò non est, quæro, vel adhuc impedibile est esse illius, à Deo, vel nò impedibile: Si est impedibile, ergo illud, quod inciperet, non inciperet, quia, si esse non haberet, non inciperet, tu autem dicis, illud non habere esse: Si autem non est impedibile illud esse. Contrà erit: Quia quidquid à Deo impedibile non est ut existat, illud vel antecedentem habet necessitatem existendi, vel consequentem, nulla autem, ex his necessitatibus, convenit illi termino inceptionis, non antecedens necessitas, existendi, quia hæc est impossibilis, utpote destructiva libertatis Dei, non consequens, quia hæc est, ex suppositione esse, quod pro illo instanti, seu pro ultimo non esse, non censetur haberi, alias si illud, jam haberet, falsa esset propositio, quod ultimò non sit, cum jam esset. *His circa communem doctrinam pensatis:*

DICENDUM est secundò. *Entia successiva, incipere intrinsecè, seu per primum esse, desinere extrinsecè.* Probatur prima pars: Quia si nihil obstat, dicendum est, res incipere, per ipsum esse, ut ita inceptio, & id, quod incipit proportionentur, si nihil obstat, id autem quod incipit esse, est, non autem, non est. Secunda autem pars probatur. Quia si successiva, non desinerent, per primum non esse, non proportionaretur, definitio rei desinenti, desinens enim, dicit non esse, & tamen definitio, importaret esse. Rursus, si successiva non desinerent, per primò non esse, sed per ultimum esse; adhuc definitio illorum, esset impedibilis; quia, cum verum est, de illis dicere, ultimò sunt, adhuc habent esse, si habent, adhuc esse, non habent adhuc suppositionem non esse; si non habent suppositionem, quod non sunt,

possunt adhuc impediri à Deo, ne non sint; si possunt impediri, à Deo, ne non sint, non desinunt, quia quod potest impediri, ne non sit, non definit, sed adhuc est.

OBJICITUR primò. Illud temporis, quod primò est, vel est divisibile, vel indivisibile: Si indivisibile, ergo componimus ens successivum, ex punctis; si divisibile, ergo non est primum, quia est illo prius, illud scilicet, in quod, dividi potest.

RESPONDETUR ex dictis, illud primum temporis, physice spectari, esse minimum physicum, divisibile quidem, sed ita, ut si dividatur, jam non salvetur ratio quanti, nec ratio temporis; illud ergo minimum physicum, quod ponitur, est primum in ratione temporis.

OBJICITUR secundò. Si ens successivum, desineret extrinsecè, etiam verborum Sacramentalium prolatio, desineret extrinsecè. Si desineret extrinsecè, per non esse desineret; si desineret per non esse, causare physice gratiam non possent, nam quod non est, etiam Divinitus, causare physice non potest.

RESPONDETUR. Si Sacramenta causant physice gratiam, non causant per sui definitionem, sed per inceptionem quandam, hoc est, quando ultima syllaba, incipit primò esse, humano modo sensibilis, adeoque in aliquo minimo physico, suæ sensibilitatis humano modo, de quo alias, nam quamvis musicè producat, ultima formæ Sacramentorum syllaba, non definit prolatio formæ, & tamen in a. ite supponitur, producta gratia, ergo apparet, non per definitionem causari gratiam, à Sacramentis.

OBJICITUR tertio. Etiam minimum illud temporis habet partes, priorem & posteriorem. Ergo non potest de illo dici primò est.

RESPONDETUR. Habet partes, sed quarum neutra per se, est tempus, ut dictum supra.

DIFFICULTAS III.

Resolvuntur reliqua, idem concernentia.

QUÆRES primò. *Quid sit sentiendum de doctrina recentioris Suar: quam proponit, Disp. 2. de motu Sect. 2. §. 8. Circa hanc illius doctrinam*

ASSERO primò. *Forma substantialis, vel accidentalis, impossibilis, respectu unius, ejusdem instantis, non potest incipere, & desinere intrinsecè.*

RATIO, quia tales formæ, vi talis inceptionis, & definitionis, important coexistentiam, pro illo instanti, utriusque formæ, quod tamen supponitur, saltem naturaliter, non posse fieri.

ASSERO secundò. *Antequam verum sit dicere: Nunc non est primò forma, verum quidem est dicere, ultimò est forma, sed tamen, per hoc, non salvatur definitio, de qua hic,*

RATIO prioris est, quia hoc ipso, si datur primò

mò non esse, debuit præcedere ultimò esse, qui enim primò nunc non comedit, hoc ipso, ultimò debuit comedisse. Ratio posterioris est, quia hùc quæritur, de definitione, quæ inferat non esse, in impedibile etiam à Deo, ultimum autem esse, non est tale.

ASSERO tertio. *Quòd in omni inceptioe, sit duplex definitio; & in omni definitione, duplex inceptio*, attendendo ad naturalem rerum ordinem. In inceptioe enim, est duplex definitio, quia est, & definitio formæ antecedentis, & definitio, negationis, præsentis formæ: & in omni definitione est duplex inceptio. Inceptio scilicet formæ subsequæ, & inceptio negatæ negationis definitionis. Comparando ergo, inceptionem formæ, cum definitione, negationis præsentis formæ, quando verum erit dicere: Nunc primò est forma, verum erit etià dicere, nunc ultimò non est, negatio definitionis formæ præsentis, quo in sensu salvari potest extrinseca ejus inceptio, sed hæc inceptio, Analogicè se habet, ad hanc, de qua in præsentia; nam quamvis involvat non esse, quod commune est, imò formalisat inceptionem extrinsecam, non est tamen extrinseca durationi rei, sed conjuncta illi, si autem esset verè extrinseca, non involveret esse rei.

QUÆRES secundo. *Quid sit sentiendum, de doctrina Pontii, Disp. 47. Q. 4.* qui asserit, supposito etiam, quòd tempus, constet in infinitum divisibilibus, non esse tamen necesse, ad explanationem inceptionis & definitionis rerum, adhibere extrinseca instantia.

ASSERO, *tenendum hoc non esse.*

RATIO, quia, quòd incipit intrinsecè, de illo, verum est dicere, primò est, hoc autem non posset verificari, supposità compositione temporis, & in infinitum divisibilibus: Quod ipsum probatur, de quo verificatur, primò est, vel est, habens partes priores & posteriores, vel non est habens: Si non est habens, sententiam deseris; Si est habens, Ergo illud primum, non est primum, sed dantur partes illo priores.

DICES primò. Potest dici, quòd motus hodiernus, incipiat hodiè, & quòd desinat, post diem hodiernam.

RESPONDETUR. Potest quidem dici: Nunc vulgariter incipit, hodiernus motus, sed non potest dici: Nunc primò, propter rationem, supra adlatam.

DICES secundo. Incipere rem aliquam esse, est idem, ac esse, pro aliquo tempore, & immediate ante, non fuisse, sed verum est dicere, quòd motus hodiernus, sit hodiè, & quòd non fuerit ante. Ergo potest dici de illo, quòd hodiè inceperit.

RESPONDETUR. Motum hodiernum incepisse Nunc, seu hodiè, vulgariter, sed non hodiè, neque nunc, quòd sit primò, & per exclusionem prioris & posterioris.

DICES tertio cum eodem, Qui dicunt, quòd motus incipiat in instanti extrinseco, in quo, verum est dicere, jam non est, & immediate, post erit, debent admittere, quòd immediate post erit.

RESPONDETUR. Hoc quidem est verum, quòd id debeant admittere, sed quòd id, salvare possint, conformiter ad sua principia, ut tenendo partes proportionales, non admittant extrinseca instantia, hoc erat probandum. Nam sicut non datur, primò esse, nec dari potest, immediate erit, tam enim illud primum non potest esse primum, quia in infinitum divisibile, quàm non potest esse immediatum, quia etiam illud immediatum, est in infinitum divisibile.

QUÆRES tertio. *An id, quòd natura sua natum est, incipere intrinsecè, & totum simul, qualis est, v.g. Angelus & gratia, possit incipere extrinsecè, & succedere?* v.g. an possit Deus facere, ut ad gratiam producendam, assumatur forma sacramentalis, quæ necessariò est successiva, ut, quæ successiva, producat gratiam, ita, ut ejus productione, successivum aliquid, etiam in tempore, proportionetur, & de hoc est major difficultas, nam quòd possit, definire intrinsecè, & incipere intrinsecè, id, quòd natum est incipere intrinsecè, & definire extrinsecè, probat vel hoc ipsum, quòd miraculosè possint, duæ formæ substantiales, secum permanere, multò magis se compati, ut una scilicet, altera sit primò; ad priorem ergo illam difficultatem quòd attinet.

ASSERO primò. *Quòd partes jam transactæ, si dum actu existunt, nihil erant operata, dum non existunt, divinitus assumi non possunt, ad productionem gratiæ, vel ad aliquid causandum Physicè.*

RATIO, quia ad elevabilitatem, & causalitatem physicam requiritur existentia, de quo aliàs actum, fuitq; sermo etiam in materia de causalitate Sacramentorum.

ASSERO secundo. *Quòd etiam Divinitus fieri non possit, ut gratia, secundum suam præcise entitatem spectata, per partes producat, v.g. ut unus gradus gratiæ, per partes producat.*

RATIO, quia quòd non habet partes, implicatq; ut illas habeat, etiam Deus non potest facere, ut producat per partes: nam & non haberet partes, quia ei implicat, & haberet, quia per partes produceretur, unus autem v.g. gradus, non habet partes.

ASSERO tertio. *Id quòd existit forma Sacramentalis, actu sensibilis, humano modo, dupliciter assumi potest, ad producendam gratiam.* PRIMò, ut actio illius sit productio & conservatio gratiæ: Si priori modo, assumatur ad producendam gratiam, actio illius, necessariò instantanea erit, non habebit enim prius, & posterius; quòd si posteriori modo assumatur, scilicet, ut circa gratiam, non

non solum rationem primò producentis, sed etiam rationem primò conservantis, habeat, tunc non erit necesse, illam actionem esse indivisibilem.

RATIO, quia illius gratiæ conservatio, potest etiam in tempore fieri.

ASSERO quartò. *Etiā Divinitus fieri non potest, ut quando, non est aliqua pars Sacramenti, quæ supponitur causasse gratiam, succedens pars, continuat ejusdem actionem, si forte aliquam haberet.*

RATIO, quia actio, est essentialis dependentia

ab hoc principio. Ergo ab alio pendere & continuari non potest.

ASSERO quintò, *partes antecedentes formæ, v.g. producere gratiam, in aliquo sui, hoc est, in illo complemento, illius pronuntiationis, constituentes, & complentes ultimam formam, reddentes ultimam syllabam, primò, humano modo sensibilem.*

RATIO, quia in ante, non possunt illam producere, aliàs maneret aliquis v.g. absolutus, idq; per infusionem gratiæ, ante prolationem formæ, sed de hoc in materia de Sacramentis.

DISPUTATIO XIII.

De Ubi, Duratione & Tempore.

UBi, est terminus motus, sed non semper motu acquiritur. Nam Adam habuit locum in paradyso, nec tamen illum acquisivit per motum, sed per sui productionem in illo loco; quia tamen etiam motu acquiritur, rectè, post tractationem de motu, ejus consideratio adjungitur, succedet postea, Duratio, & Tempus.

QUÆSTIO I.

Quid Locus?

Locus, dupliciter spectari potest, primò, secundum quod, dicit formaliter, præsentiam hic: & hic locus intrinsecus, vocatur Ubi. Secundò spectari potest locus extrinsecè, pro contentivo Ubicorum eorumq; ambitivo.

DIFFICULTAS I.

Quid definitivè Locus extrinsecus?

Definit Locum Aristot. *Quòd, sit ultima superficies corporis continentis immobilis, 4. Physic. tex. 39. & 41. Dicitur ultima superficies, ad conditionem, à loco improprio, qualis est Civitas, regio, &c. & ut ostendatur, quòd quamvis ipsa superficies, postea cingatur alià superficie, quia non cingitur prout cingit, & per se loquendo, sed secundum quod corpus est, id eò adhuc erit ultima superficies, vel certè dicitur esse superficies, quæ, quæ talis, non indiget uniri, sed solum esse contigua. Ly autem superficies, non debet sumi, prout est de prædicamento quantitatis, importatq; extensionem, in Longum & Latum, sed prout dicit Continentiam rei. Dicitur autem esse immobilis, ut distingatur à loco improprio, quale est vas, ve-*

lis &c. quid autem significet hæc immobilitas, infra dicitur. Probatur bonitas definitionis, quia convenit Omni, Soli, & Semper, proceditque per prima prædicata.

Dices primò. Si locus, est dicta superficies, sequitur, quòd, qui habet plures superficies, ille sit in pluribus locis, adeoq; virgam aquæ infixam, quæ habet superficiem, aquam & aerem, esse in duplici loco: sequitur item, quòd si duo corpora se penetrarent, & haberent eandem superficiem ambientem, quòd essent in uno loco, & tamen dicuntur, duo esse locata.

RESPONDETUR, plures illic esse superficies materiales, formaliter autem est una, quia omnes illæ conveniunt in ratione formali continentis immobilis, secundum eundem locum immobilem & idem Ubi. Corpora illa penetrata, hoc ipso, quia penetrata sunt, sunt in eodem loco, quamvis autem sint plura locata, non sequitur plurificari loca, quia multiplicatis subiectis denominationum, non est necesse multiplicari formas, sic plura essent alba, quamvis una replicata albedine dealbarentur, quòd etiam in id resolvitur, quia usus obtinuit, ut locatum multiplicetur, non per ordinem ad locum, sed rei, quæ locatur.

Dices secundò ex 4. Physic. tex. 3. Tam locus debet esse adæquatus corpori, quam ipse locus, debet adæquate occupari, quorum neutrum dictæ superficiæ convenit, idq; ideo, quia continens, est majus contento; & si illa superficies est adæquata locato, à centro locati descripti circuli ad superficiem, concavam loci, & ad superficiem convexam, tunc illi circuli æquales esse deberent, quòd est contra Mathematicos.

RESPONDET Averroes, Locum debere esse æqualem locato, non ratione dimensionis, sed ratione continentis, quia scilicet nulla est pars

† gg 2

locat-